BX
1939
I48
C3
1876
GTU
Storage

BIBLIOTHECA
FF. PRÆDICATORUM
CONVENTUS
CIVIT. BENITIÆ
Lit.
Pl.

7645

DECRETA AUTHENTICA

SACRÆ CONGREGATIONIS

INDULGENTIIS SACRISQUE RELIQUIIS

PRÆPOSITÆ

AB ANNO 1862 EDITA



ROMÆ
Ex Typographia Termarum Diocletianarum

1876

BX
1939
148
C3
1876

I.

Urbis et Orbis

Ex Audientia SSmi die 18 *Septembris* 1862.

Plurimae sunt Festivitates quae ad recolenda Redemptionis nostrae Mysteria et ad fovendam pietatem in honorem Domini, B. Mariae Virginis, et SS. Apostolorum celebrantur. In his autem sacris diebus statuendis illud sibi proposuit S. Mater Ecclesia ut fideles filii illo igne vehementer accendantur quem Divinus Sponsus Jesus Christus e penetralibus Cordis sui misit in terras; adeo ut in festivitatibus celebrandis exemplum et praesidium habeant quibus inflammentur ad exercendas virtutes, ad merita comparanda, ad gloriam assequendam aeternam. Tam autem late patuit haec Ecclesiae materna charitas ut non solum plura Domini Mysteria per anni curriculum solemniori apparatu in universo Orbe prosequeretur ut Nativitatem, Epiphaniam, Pascha Resurrectionis etc. atque varias festivitates B. Mariae Virginis toto quoque terrarum Orbe majori celebritate recoleret, ut Conceptionem, Nativitatem, Assumptionem etc. sed etiam alia mysteria Domini minori apparatu

vellet a fidelibus populis ubique frequentari ut Transfigurationem D. N. J. C, Inventionem, et Exaltationem SS. Crucis etc. ac festivitates B. Mariae Virginis pariter instituerent inferiori ritu celebrandas per universum mundum quemadmodum solemnitatem SS. Rosarii, Festivitatem B. M. V. de Mercede, Commemorationem B. M. V. de Monte Carmelo. Quin imo eadem pia Mater Ecclesia in peculiaribus locis vel ob venerandam aliquam Imaginem cultu celebrem, vel ob insigne prodigium ibi patratum, vel ob singularem populi devotionem vel ob alias causas concessit plures celebrari festivitates ad honorandam memoriam Mysteriorum Domini, ut in institutione festi SSmi Redemptoris, Instrumentorum ipsius Passionis etc. aut pene innumeras statuendo festivitates in honorem B. Mariae Virginis sub titulo de Bono Consilio, Gratiarum, de Succursu, Pietatis, Maternitatis, Puritatis etc. Quod factum est etiam in memoriam Apostolorum quorum non solum Natalem diem colit Ecclesia solemniori ritu, sed etiam minori apparatu celebrat quaedam peculiaria facta instituendo festivitatem in Orbe universo celebrandam, ut de Cathedra S. Petri tum Romana tum Antiochena, de Vinculis Apostolorum Principis, de Conversione S. Pauli, de immissione S. Joannis in ferventis Olei dolium evenit, atque ea quoque celebrat quae singularia quaedam loca rispiciunt ut Translationem Capitis S. Andreae Apostoli, Translationem Corporis S. Thomae Ap. ex India etc.

Jam vero Romani Pontifices ad promovendam Populi Christiani utilitatem plures Indulgentias concessere non tantum pro festivitatibus quae celebrantur ab universa Ecclesia, sed etiam pro iis quae in uno vel altero loco sunt institutae, nec solum pro primariis sed etiam pro secundariis.

Cum autem in Brevibus, Rescriptis etc. quibus concessae sunt Indulgentiae non semper facta fuerit declaratio festorum, seu principalium, seu minus celebriorum, sed legatur *pro omnibus festis vel pro omnibus et singulis festis* sive Domini sive B. Mariae Virginis, hinc ortum est dubium de quibusnam festis intelligendae sint concessiones hujusmodi genericis verbis expressae, an de omnibus omnino, an vero de primariis tantum et quae per universum orbem celebrantur, an etiam de minoribus et iis quoque quae aliquibus in locis tantum celebrantur, proinde, ad S. Congregationem delatae sunt preces pro opportuna declaratione; nam difficultati solvendae inservire nequit resolutio ab hac eadem S. Congregatione data die 5 Martii 1855 quae regulam generalem non praebet.

Cum enim ex parte Clarissarum Massiliensium in Gallia quaesitum fuisset an gratia plenariae absolutionis et indulgentiae etc. quam ex concessione S. M. Leonis X. possunt consequi quater in anno, et in omnibus solemnitatibus seu festis Domini Sabaoth et B. Mariae V. et omnium sanctorum etc. non obstante Bulla S. M. Pauli V. quae incipit *Romanus Pontifex* de Indulgentiis Regularium adhuc subsisteret, et Emi Patres in Comitiis generalibus diei 5 Martii 1855 respondissent « *Affirmative* » *excepta Indulgentia Plenaria pro vivis*, ut clarius videri potest in praefata resolutione Massiliensi cui omnino attendendum est, hinc alia Dubia proposita fuerunt. III. *An per festa Domini Sabaoth intelligenda sint*; *Natiritas*, *Circumcisio*, *Epiphania*, *Pascha*, *Ascensio*, *Pentecostes et etiam Festum Trinitatis, et Corporis Christi*: et IV. *an per festa B. M. V. intelligenda sint*: *Purificatio*, *Annuntiatio*, *Visitatio*, *Assumptio*, *Nativitas*, *Praesentatio*, *et Conce-*

ptio? In eadem itaque Congregatione audito Consultoris voto E.mi Patres responderunt ad utrumque, III. nempe et IV: *affirmative juxta consuetudinem*, quae responsio a SS. Domino Papa Pio IX. etiam approbata fuit, nempe in casu de quo agitur, recipi posse absolutionem, et adquiri Indulgentiam in iis festis Domini Sabaoth et festis B. M. V. quae recensentur in Dubiis, in quibus fuerit consuetudo recipiendi absolutionem, et adquirendi indulgentiam, qua responsione peculiare dubium solverunt tunc propositum, non interpretationem aut declarationem porrexerunt festorum de quibus in concessionibus fit mentio cum dicitur *in omnibus festis*, *in omnibus et singulis festis.*

Hinc igitur in Congregatione generali diei 11 Augusti 1862 quaesita sequentia fuerunt proposita.

I. An quando invenitur concessa Indulgentia Plenaria in omnibus et singulis festis Domini intelligenda sint festa praecipua Nativitatis scilicet, Circumcisionis, Epiphaniae, Paschatis, Ascensionis et Corporis Christi juxta praxim S. Congregationis, an vero intelligenda sint festa enunciata in Decisione Massiliensi sub die 5 Martii. 1855 an omnia et singula festa etiam secundaria quae in aliquibus tantum locis celebrantur?

Et quatenus affirmative pro festis praecipuis.

II. An quando invenitur concessa Indulgentia partialis in reliquis omnibus Domini festivitatibus, de quibusnam festis intelligendum sit?

III. An quando invenitur concessa Indulgentia Plenaria in omnibus et singulis festis B. Mariae V. intelligenda sint festa praecipua Conceptionis nempe, Nativitatis, Anuuntiationis, Purificationis et Assumptionis juxta praxim S. Congregationis, an vero standum sit Resolutioni diei 5 Martii 1855. An Intelligantur inclu-

sae etiam festivitates pene innumerae quae per Orbem recoluntur, licet non in omnibus sed in aliquibus tantum locis celebrentur?

Et quatenus affirmative pro praecipuis.

IV. An quando invenitur concessa Indulgentia partialis in reliquis omnibus festis ejusdem B. Mariae V. de quibusnam festis intelligendum sit?

V. An quando invenitur concessa Indulgentia Plenaria vel Partialis in omnibus et singulis festis Apostolorum, intelligenda sint festa Natalis uniuscujusque Apostoli vel etiam festa secundaria?

Super quibus Consultores sua vota ediderunt, hisque auditis Emi Patres in Congregatione praedicta generali habita apud Aedes Vaticanas die 11 Augusti 1862 responsiones singulis dubiis dederunt, atque omnibus relitis SSmo D. N. PIO PP. IX. in Audientia habita die 18 Septembris 1862 ab infrascripto S. Congregationis Secretariae Substituto Sanctitas Sua responsiones praefatas Emorum Patrum confirmavit, nempe quoad I. et III. *Affirmative* ad 1^{m} partem, *Negative* ad 2.^{m} et 3.^{m} declaravitque expresse Sanctitas Sua ut quoties in concessione inveniantur verba in *festis*, vel *in omnibus festis*, vel *in omnibus et singulis festis Domini* aut etiam *in festis* vel *in omnibus festis* vel *in omnibus et singulis festis Domini N. J. C.* semper intelligantur tantum festa Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae, Dominicae Paschatis Resurrectionis, Ascensionis, et Corporis Christi, ac pariter declaravit, ut quoties in concessione inveniantur verba in *festis* vel *in omnibus festis* vel *in omnibus et singulis* festis B. Mariae Virginis semper intelligantur dumtaxat festa Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis, et Assumptionis, quoad II. intelligendum esse de omnibus festis

Domini quae celebrantur ab universa Ecclesia; quoad IV. pariter intelligendum esse de omnibus festis B. Mariae Virginis quae celebrantur ab universa Ecclesia; quoad V. *Affirmative* ad 1.m partem, *Negative* ad 2.m

Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiarum et SS. Reliquiarum.

F. Card. Asquinius, *Praef.*

A. Archip. Prinzivalli, Subst.

II.

URBIS ET ORBIS

Ex Audientia SS.mi die 18 *Septembris* 1862.

Est hoc in more positum quod ab animarum Pastoribus Sanctissimum Eucaristiae Sacramentum in aliquibus tantum infra annum praecipuis festivitatibus ad fideles habitualiter infirmos, chronicos, ob physicum permanens aliquod impedimentum e domo egredi impotentes solemniter deferatur, proindeque hujusmodi fideles tot Plenariis Indulgentiis privantur, quas consequerentur si conditionibus injunctis adimpletis ad Sacram Eucaristicam Mensam frequentius possent accedere. Itaque quamplures animarum Curatores, aliique permulti Ecclesiastici Viri humillimas preces porrexerunt Sanctissimo Domino Nostro PIO PP. IX, ut de Apostolica benignitate super hoc providere dignaretur, factaque per me infrascriptum Secretariae S. Congregationis Indulgentiarum Substitutum Eidem Sanctissimo de his omnibus fideli relatione in Audientia habita die 18 Septembris 1862., Sanctitas Sua spirituali gregis

sibi crediti utilitati prospiciens clementer indulsit ut praefati Christi fideles, exceptis tamen illis qui in Communitate morantur, acquirere possent omnes et singulas Indulgentias Plenarias jam concessas vel in posterum concedendas, quasque alias acquirere possent in locis in quibus vivunt, si in eo physico statu non essent, pro quarum acquisitione praescripta sit Sacra Communio et visitatio alicujus Ecclesiae vel publici Oratorii in locis iisdem, dummodo vere poenitentes Confessi, ac caeteris omnibus absolutis conditionibus, si quae Injunctae fuerint, loco S. Communionis et Visitationis alia pia opera a respectivo Confessario injungenda, fideliter adimpleant. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiarum et SS. Reliquiarum.

F. Card. Asquinius, *Praefectus*

A. Archip. Prinzivalli, Subsitutus.

III.

URBIS ET ORBIS

Ex Audientia SS.mi Die 18 *septembris* 1862.

Etsi per plura Decreta, praesertim vero sub diebus 12 februarii, 7 Martii 1840, et 24 Augusti 1844 ab hac Sacra Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita satis superque provisum sit circa legitimam fidelium admissionem in sacri Scapularis Sodalitatem, declarando inter alia pro Indulgentiarum ac privilegiorum acquisitione, *ut fideles ipsi in eamdem Sodalitatem ingredientes, habitum seu Scapulare ab habentibus facultatem benedictum legitime recipiant, ipsumque deferant continuo pendens a Collo unaque sui parte pectus, et altera Scapulas contegens; et licet a Sacerdotibus facultatem habentibus non servetur forma in Rituali et Breviario Ordinis Carmelitarum praescripta, rata habeatur adscriptio, dummodo praefati Sacerdotes non deficiant in substantialibus nempe in Benedictione, et impositione habitus, ac in receptione in Confraternitatem,* plures tamen hujusmodi fi-

delium adscriptiones invalidae ac nullae prorsus inveniuntur, ita ut fideles Sacris Indulgentiis, ac privilegiis frustrentur ob habitus impositionem peractam a non habentibus facultatem, vel ob ipsum habitum diversa forma confectum. At vero ne Christifideles eo modo in Sodalitatem adscripti ultro decipiantur, Sacerdos Jacobus Etehepare Missionarius Bajocencis Dioecesis dubia huic Sacrae Congregationi enodanda proposuit, videlicet.

1° An pro valida admissione ad Confraternitatem B. Mariae Virginis de Carmelo caeteraque omnia lucra sufficiat *reliquis servatis* impositio habitus confecti duobus pannis in una eademque extremitate funiculorum positis, modo postea ad lucrum effectivum Indulgentiarum, privilegiorum etc. ipsemet admissus quilibet sibi imponat habitum rite confectum juxta Decretum 12 Februarii 1840?

2° An admissiones hujusmodi etiam bona fide hucusque factae sint validae donec iterentur, vel a S. Sede in radice sanentur? — Et quatenus affirmative.

3° An ad praecavenda piorum perturbationes ac alia incomoda ipsi Etehepare Presbytero Missionario liceat de tali sanatione pro tota Gallia quoad omne praeteritum Sanctitatem Suam obsecrare?

Itaque in Comitiis generalibus in Aede Vaticana die 11 Augusti 1862 habitis, E.mi Patres, audito prius Consultoris Voto, respondendum esse duxerunt = Ad Primum = Negative =. Ad Secundum = Affirmative = Ad Tertium = Non expedire, et suplicandum SS.mo pro Sanatione omnium adscriptionum modo praedicto hucusque ubique factarum, et typis publicetur Decretum =.

Facta demum de his omnibus SSMO NOSTRO PIO

PP. IX. fideli relatione in Audientia habita die 18 Septembris ejusdem anni per me infrascriptum Secretariae Sacrae Congregationis Indulgentiarum Substitutum, Sanctitas Sua Eminentissimorum Patrum resolutiones benigne confirmavit, ac insuper de Apostolica Sua Benignitate omnes et singulas adscriptiones modo praedicto hucusque non solum in Gallia, verum etiam ubique peractas clementissime sanavit, et ut praefatae Resolutiones, et hujusmodi Sanationis Gratia ab universis Christifidelibus facilius dignoscantur, hoc generale Decretum typis publicari mandavit.

Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiarum die 18 Septembris 1862.

F. Card. Asquinius, *Praef.*

A. Archip. Prinzivalli, Subst.

IV.

Ordinis Carmelitarum Discalceatorum.

Humillimis precibus P, Procuratoris Generalis Fratrum Carmelitarum discalceatorum huic S. Congregationi Indulgentiarum exponebatur quod Communitas Conventus S. Annae ejusdem Ordinis in civitate Januensi, civili auctoritate nuper compulsa, proprio sequestrato Conventu, in Monasterium olim ad Benedictinos Monachos pertinens se transtulit, cujus Ecclesiae Parochialis cura ab Episcopo Dioecesano Presbytero saeculari jam fuerat demandata. Itaque eadem Communitas propria destituta Ecclesia, ab Ordinario facultatem obtinuit Sacras functiones in eadem parochiali Ecclesia peragendi juxta proprii Ordinis Statuta. Jam vero cum jure ut Ordinis Ecclesia haec haberi non videatur, dubium exinde ortum est an quae aliis Ordinis Ecclesiis gratiae et privilegia sunt concessa, eidem etiam attributa censeantur; quapropter idem Procurator Generalis dubia proposuit.

1° An gratiae et privilegia concessa Ecclesiis Ordinis Carmelitarum censeri debeant attributa Ecclesiae Monasterii Benedictinorum, in qua ex concessione Epi-

scopi praefati Carmelitae sacras functiones pro tempore obeunt?

2° An supplicandum sit Sanctissimo pro extensione privilegiorum ad Ecclesiam de qua supra?

Ad quae Sacra Congregatio die 11 Augusti, 1862 in Palatio Apostolico Vaticano coadunata, previo Consultoris voto respondit,

Ad primum = Negative =

Ad secundum = Affirmative =

Et facta Ssmo. Dno. Nro. Pio PP. IX. relatione in Audientia diei 18. Septembris 1862, a me infrascripto Secretariae Sac. Congnis. Indulgentiarum substituto, Sanctitas Sua attentis Emorum. Patrum responsionibus, benigne annuit pro extensione privilegiorum ad Ecclesiam praefati Benedictinorum Monasterii usque dum in ipsa Fratres Ordinis Carmelitarum Excalceatorum Sacras functiones celebrabunt. Praesenti valituro absque ulla Brevis expeditione, Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sac. Congnis. Indulgentiarum die 18 Septembris 1862.

F. Card. Asquinius, *Praef.*

A. Archip. Prinzivalli, Substit.

V

ORDINIS CARMEL. DISCALCEAT.

Huic Sacrae Indulgentiarum Congregationi Fr. Ma-Maximilianus a S. Joseph Prior Conventus Ordinis Carmelitarum Discalceatorum Rathisbonae in Provincia Bavariae exposuerat quod in Ecclesia ejusdem Conventus sub titulo S. Joseph aderat ante exclaustrationem Confraternitas S. Joseph canonice erecta, cujus festum prout titulare Confraternitatis celebrabatur Dominica proxima post diem 23 Januarii cum Indulgentia Plenaria; atque alia etiam Indulgentia pro iis, qui Confessione et Communione peracta praedictam Ecclesiam visitassent, inveniuntur concessae, scilicet feria quarta primae, secundae, tertiae, sextae, septimae, octavae, et nonae hebdomadae ante festum S. Joseph Indulgentia Plenaria; feria vero quarta hebdomadae quartae et quintae ante idem festum Indulgentia centum dierum.

At vero quamquam post restaurationem Conventus, et ecclesiae reconciliationem, quae ad praedictam Confraternitatem spectant, omnia ut primitus continentur, dubium tamen proposuerat.

= Utrum, scilicet per profanationem Ecclesiae, quae tempore exclaustrationis locum habuit, jus ad praedicta penitus amissum fuerit? Et quatenus affirmative, humillimis rogaverat precibus, ut praefatas omnes gratias una cum Confraternitatis erectione de novo concederet sanando quoque quidquid in Confratrum receptione actum hucusque fuerit. Sacra itaque Congregatio die 11 Augusti 1862 in Aedibus Apostolicis Vaticanis habita, audito prius Consultoris voto respondendum esse censuit = Negative in omnibus = quam quidem Emorum Patrum Sententiam Ssmo. Dno. Nro. Pio. IX. relatam per me infrascriptum Secretariae Sac. Congnis. Indulgentiarum substitutum in Audientia diei 18 Septembris 1862 Sanctitas Sua benigne confirmavit.

Datum Romae ex Secretaria Sac. Congnis. Indulgentiarum die 18 Septembris 1862.

F. Card. Asquinius, *Praef.*

A. Archip. Prinzivalli, Subst.

VI.

Mexicana.

Ad S^m^ Cong. Indulg. Sacrisque Reliquiis praepositam dubium delatum est ex parte Rmi. Episcopi Sanctae Fideiin Novo Mexico hisce verbis enunciatum « Ho trovato « stabilita la Confraternita di Nostra Signora del Carmine. « Il Sacerdote autorizzato secondo le regole benedice gli « scapolari, ed un secolare va a distribuirli in tutto il « Territorio. Si possono in questo modo lucrare le Indulgenze? »

Eadem Sac. Congregatio antequam quidquam decerneret, remisit Instantiam uni ex Consultoribus ejusdem Sac. Congregationis, qui censuit respondendum esse: « Negative quoad devotos, qui pro ingressu in Societatem habitum benedictum de manu Sacerdotis auctoritatem habentis non receperunt. »

Itaque E.mi Patres in generalibus Comitiis habitis die 11 Augusti 1862 in Aedibus Vaticanis Consultoris sententiam approbantes responderunt. « Negative juxta votum Consultoris; et facta de praemissis SS.mo D.no N.ro Pio PP. IX relatione per me infrascriptum Substi-

tutum Secretariae praememoratae Sac. Congregationis in Audientia habita die 18 Septembris 1862. Idem SS.mus responsum Eminentissimorum Patrum benigne confirmavit.

Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiarum die 18 Septembris 1862.

F. Card. Asquinius, *Praef.*

A. Archipr. Prinzivalli, Subst.

VII.

Bituricen.

Cum ad assequendas Indulgentias sive Plenarias, sive Partiales quae ab Apostolica Sede Fidelibus elargiuntur requiratur omnino ut omnes et singulae conditiones impositae, ne una quidem omissa, fideliter adimpleantur, dubia fuerunt proposita huic Sacrae Indulgentiarum Congregationi, a nonnullis Christifidelibus Bituricensis Dioecesis.

1° Utrum scilicet preces praescriptae ad lucrandas Indulgentias sive Plenarias, sive partiales, sint recitandae flexis genibus?

2° Utrum specialiter preces praescriptae pro scapulari Immaculatae Conceptionis, scilicet sexies Pater, Ave et Gloria flexis genibus sint recitandae?

Hinc Sac. Congregatio in generali Conventu apud Vaticanum habito die 11 Augusti currentis anni, audito prius Consultoris voto respondendum esse duxerunt:

Ad 1. Negative nisi aliter praescriptum sit in Documento concessionis.

Ad 2. = Negative. =

De quibus facta Ssmo. Dno. Nro. Pio. PP. IX. relatioen per me infrascriptum Secretariae Sac. Cognis Indulgentiarum substitutum, Sanctitas Sua sententiam ejusdem Sac. Congnis. benigne confirmavit in audientia diei 18 Septembris 1862.

Datum Romae ea eadem Secretaria Sac. Congnis. Indulgentiarum

F. Card. Asquinius, *Praef.*

A. Archip. Prinzivalli, Subst.

VIII.

Congregationis S. Benedicti in Gallia.

In generalibus Comitiis Sacrae hujus Indulgentiarum Congregationis habitis die 29 Februarii 1864 sequentia dubia per Ioannem Baptistam Nicolas Monachum Congregationis Gallicae Sancti Benedicti proposita fuere.

1° Cum ex diversis Decretis S. Congregationis Indulgentiarum jam liceat plures Plenarias Indulgentias eadem die lucrari, solutis scilicet conditionibus, quaeritur, an dictum Decretum respiciat solas Indulgentias in una die occurrentes propter festivitatem, vel potius etiam illas, quas unusquisque ob suam devotionem tali per hebdomadam aut mensem diei adfixerit?

2° Qui Decreto ipso uti voluerit, an teneatur Ecclesiam vel publicum Oratorium visitare (quando nempe requiritur talis visitatio) totidem vicibus, quot sunt Indulgentiae lucrifaciendae?

Et quatenus Affirmative

3° An sufficiat, ut in una, eademque Ecclesia tot preces; seu visitationes repetantur, quot sunt Indulgentiae lucrandae quin de Ecclesia post quamlibet visitationem quis egrediatur, et denuo in eam ingrediatur?

Hisce itaque ab Eminentissimis Patribus mature discussis, Votisque Consultorum perpensis, respondendum esse statuerunt » Ad Primum » *Affirmative* » Ad Secundum » *Affirmative.* » Ad Tertium » Negative. »

Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiarum die 29 Februarii 1864.

F. Antonius Maria Card. Panebianco, *Praef.*

A. Colombo, Secr.

IX.

Andegaven

Cum corpus sancti Maxentioli unius ex Divi Martini Turonensis Episcopi discipulis Ecclesia Parochialis de Condè in Urbe Cunaud Dioecesis Andegaven, ab immemorabili possideat, ejusque Reliquias maxima semper Christifideles prosecuti sint veneratione, cumque Reliquiarium, quod illud custodit, certis authenticis litteris, ac sigillo omnino careat, Episcopus Andegaven, priusquam de Ejus authenticitate quidquam decerneret, superiori anno Ecclesiasticornm legatione, de ipsius sancti Ossibus examen instituit, atque in formali recognitione nulla illi adversata est oppositio; at vero cum ex medici inquisitione ossa praefata eidem corpori pertinere, exceptis duobus aliis, quae alterius corporis sunt, animadveteret, duplicem quaestionem huic Sacrae Cong.ni Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae solvendam proponit; nimirum.

1° Cum desint authenticae litterae, an possessio ab immemorabili et non interrupta, ut etiam publicus cultus, idest certitudo moralis, sit res sufficiens, ut dicto Sancti Maxentioli corpori veneratio tribuatur?

2° Quid de duobus ossibus pertinentibus ad aliud corpus, minime ad illud Sancti Maxentioli agendum? Decet ne in eadem Urna relinquere, aut illa extrahere oportet?

Sacra itaque Congregatio quae apud Vaticanum die 29 Februarii anni 1864. habita est, Consultorum votis auditis, sic respondendum esse decernit « Ad primum » Fideles non esse inquietandos « Ad Secundum » Nihil esse innovandum. »

Datum Romae ex Secretaria Sacr. Congregationis Indulgentiarum die 29 Februarii 1864.

A. M. Card. Panebianco, *Praef.*

A. Colombo, Secret.

X.

GALLIARUM.

Quamvis ex pluribus recentioribus decretis hujus S. Cong. Indulg. praesertim dierum 11 Apr. 1840 et 7 Ian. 1843 facile eruatur, quod in coronarum benedictione, quibus ab habentibus facultatem illae applicantur Indulgentiae dumtaxat quas Romanus Pontifex solet impertiri, ne culla recitationis formula, nec aquae benedictae aspersio, nec alius Ritus exigatur praeter signum Crucis quando in Indulto dicatur = In forma Ecclesiae consueta = dubitarunt tamen nonnulli Vicarii Generales in Gallia, an per praefatas declarationes comprehendatur etiam Benedictio tum Coronarum seu Rosariorum Sancti Dominici quae a Patribus Ordinis Praedicatorum, tum Coronarum septem dolorum quae a Patribus Ordinis Servorum Mariae benedicuntur; ita ut sacerdotes, qui a superioribus praefatorum Ordinum, vel immediate ab Apostolica Sede facultatem impetrantes praememoratas Coronas benedicendi, in solo Crucis signo perficere possint, an vero pro actus valore formula Benedictionis simulque aspersio cum aqua benedicta omnino sit adhibenda? Proposito

itaque dubio in sacra Indulgentiarum Congregatione, quae in Aedibus Vaticanis die 29 Februarii habita fuit, E.mi Patres postquam Consultorum vota audissent, responderunt = Pro Coronis Rosarii, et septem dolorum servandam esse formulam, cum responsa sacrae Congregationis dierum 11 Aprilis 1840, et 7 Ianuarii 1843 non comprehendant casus de quibus agitur in proposito dubio — Cum vero ejusdem dubii conclusio ea sit, ut in casu quo formula sit adhibenda, ipsis Vicariis Generalibus dispensatio ea utendi concedatur, Jidem E.m. Patres respondendum esse duxerunt = Quoad dispensationem non expedire = Datum Romae ex Secretaria Sac. Congnis. Indulgentiarum die 29 Februarii 1864.

A. M. Card. Panebianco, *Praef.*

A. Colombo, Secret.

XI.

Urbis et Orbis

Quamplures Romani Cleri Sacerdotes, ac praesertim Animarum Curatores dubium huic Sacrae Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositæ enodandum proposuerunt « Utrum, scilicet, Sacerdos celebrans in Altari Privilegiato legendo Missam de Festo Semiduplici, Simplici, Votivam, vel de Feria non privilegiata sive ratione expositionis Sanctissimi Sacramenti, sive Stationis Ecclesiae, vel alterius Solemnitatis, aut ex rationabili motivo, fruatur privilegio ac si legeret Missam de Requie per Rubricas eo die permissam? »

Sacra itaque Congregatio, quæ habita fuit apud Vaticanas ædes die 29 Februarii 1864 auditis Consultorum Votis, respondendum esse duxit « *Affirmative, deletis tamen verbis* » aut ex rationabili motivo « *et facto verbo cum Sanctissimo* » Facta insuper per me infrascriptum ejusdem S. Congregationis Secretarium SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO relatione in Audientia

diei 11 Aprilis ejusdem anni , SANCTITAS SUA Eminentissimorum Patrum Sententiam benigne confirmavit.

Datum Romae ex Secretaria ipsius S. Congregationis Indulgentiarum die 11 Aprilis 1864.

F. Antonius Maria Card. Panebianco, *Praef.*

A. Colombo, *Secret.*

XII.

Forojulien.

Quamvis compertum sit, et ab hac Sac. Cong. declaratum Ecclesias omnes quae sub regimine olim erant Fratrum Ordinis Seraphici Indulgentias amisisse ejusdem Ordinis proprias; attamen ad enixas preces R. P. Hadriani Josephi Humbert ex Ordine Conventualium sa: me: Pius PP. VII per Breve sub die 20 Junii 1817, confirmavit, et quatenus opus esset, de novo concessit Indulgentias omnes, et singulas peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes vulgo de Portiuncula nuncupat in Ecclesiis existentibus in Galliarum Regnis, quaeque a Fratribus dicti Ordinis primitus regebantur; imo ad majorem Christifidelium utilitatem idem Pontifex per aliud Breve *Alias nos* sub die 4 Maii 1819 praedictam Indulgentiam de Portiuncula nuncupat. in iisdem Ecclesiis ad Dominicam immediate sequentem diem secundam Augusti, nisi haec dies in Dominicam incidit, transtulit.

Cum autem hodie nonnullae Ecclesiae in Gallia sub

regimine Fratrum Ordinis S. Francisci iterum existant, quaeque ideo potiuntur hac Indulgentia die 2 Augusti; sequentia enata sunt dubia proposita a Parocho S. Francisci in civitate Forojuliensi curiae Episcopali, et ab hac Sacrae Congregationi ut declarentur.

1· Utrum Brevia *Exponi Nobis* 20 Junii 1817, et *Alias Nos* 4 Maii 1819 si sint authentica, adhuc vigeant pro Gallia, quamvis in quibusdam locis nunc extent Conventuales Franciscanorum Ecclesiae, in quibus Fideles die 2 Augusti Indulgentias de Portiuncula nuncupatas consequi possunt?

2. Ultrum firmo remanente Brevi *Alias Nos* de traslatione Indulgentiarum de Portiuncula ad Dominicam, vetus Franciscana Ecclesia, nunc Parochialis, indulto speciali indigeat ut in ea Fideles Indulgentias die 2 Augusti lucrentur?

Sac. Congregatio die 29 Augusti 1864; respondit.

Ad primum — Affirmative.

Ad secundum — Indigere.

XIII.

Congregationis S. Benedicti in Gallia

Inter dubia de translatione Indulgentiarum quae Io: Baptista Nicolas Monachus S. Benedicti in Gallia huic sacrae Congregationi obtulerat enodanda sequens propositum est:

Utrum Indulgentiam alicui festo adjunctam lucretur quisquis die ipsa juxta Kalendarium Breviarii Romani, vel potius juxta Kalendarium uniuscujusque Dioecesis Ordinis etc.

Item qui sodalitati cuicumque nomen dederunt, an Indulgentias acquirant die in qua Festum celebratur in Ordine Regulari ad quem attinet dicta Sodalitas, licet sit diversa a die Kalendarii Romani, vel Dioecesani?

Sac. Congregatio die 29 Augusti 1864 respondit; = Indulgentiam acquiri a Christifidelibus die fixa et rite constituta in sua Dioecesi; a Regularibus Ordinibus die rite constituta in suo Kalendario; ab hominibus qui sodalitati nomen dederint, quae ad Regularem Ordinem

attineat, Indulgentiam acquiri die rite constituta in Kalendario Dioecesis, vel in Kalendario Ordinis, si istius, modi privilegio gaudeant, non tamen in utraque die. Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sac. Congregationis die 29 Augusti 1864.

ANT. M. CARD. PANEBIANCO, *Praef.*

Philippus Can. Cossa, Subst.

XIV.

Andegaven

Cum ab Episcopo Andegavensi ex parte Presbyteri Luduvici Devaries Parroeciae Belloprati suae Diocesis trium dubiorum solutio in hac Sacra Congne. Indulgentiarum expostulata fuisset, nempe.

I. Utrum privilegium Altaris sive proprie dictum, sive personale applicari possit pluribus Defunctorum animabus in cujuscumque diei Missa (servatis servandis) sicuti expresse, sed speciatim declaratum fuit a S. Congregatione die 19 Maii 1761 pro missa in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum die secunda Novembris?

II. Utrum post Indultum Apostolicum R. Ordinario die 10 Maii 1860 concessum, quod permittit *ut in omnibus Ecclesiis parochialibus Dioecesis andegavensis ter in qualibet hebdomada celebrentur cum cantu Missae de Requie, dum Officia occurrunt ritus duplicis quibusdam tantum exceptis*, applicatio privilegii fieri possit in hisce tribus Missis taliter cantatis, tametsi absolute loquendo extra Rubricam cantatae esse de Requie videri valeant, vel differenda sit dicta ap-

plicatio in tres alias dies in quibus Missa dicetur juxta Rubricam ordinariam et secundum alias praescripta a S. Congregatione?

III. Utrum qui ter habet privilegium personale in hebdomada possit valide quando in eadem plura inveniuntur festa duplicia, et plura semiduplicia vel infra potius eligere ad applicationem privilegii festa duplicia quam differre ad semiduplicia?

Emi. Patres in generalibus comitiis habitis in Palatio Apostolico Vaticano die 29 Februarii anni 1864 auditis consultorum votis, rebusque mature perpensis respondendum esse duxerunt.

Ad primum = Negative =

Ad Secundum = Affirmative = quatenus non recurrant Festa semiduplicia in hebdomada.

Ad tertium = Ut in secundo

Datum Romae ex Secretaria S. Congnis Indulgentiarum die 29 Februarii 1864.

Antonius M. Card. Panebianco, *Praef.*

A Colombo, Secretarius.

XV.

Andegaven

B.mo Padre,

Nicola Lovis della Compagnia di Gesù Direttore dell'Arciconfraternita di S. Giuseppe eretta nella Chiesa del Noviziato della Compagnia medesima in Angers per tutto l'Impero Francese con Breve del 6 settembre 1861 — umilmente espone alla S. V. i seguenti dubbi pregandola a degnarsi di toglierlo dalla perplessità nella quale perciò si trova:

1. Essendo nel Breve suddetto ristretta la facoltà di aggregare altre Confraternite al solo Impero Francese, si domanda se sia valida l'ascrizione d'*Individui* abitanti fuori dell'Impero medesimo; i quali quantunque non possono intervenire alle solite adunanze e pii esercizii della Confraternita, possono però lucrare le Indulgenze concesse a certe determinate opere ingiunte che questi adempiono?

2. Se nelle più popolate città della Francia sia lecito di erigere più di una Confraternita, non essendo una sola sufficiente per soddisfare alla divozione dei fedeli, attesa la distanza dei luoghi. e la varietà delle occupazioni?

3. Poco dopo la concessione del sopracitato Breve essendo stata eretta un' altra Arciconfraternita in Beauvais egualmente per tutto l'Impero Francese, si domanda se possa l'Arciconfraternita di Angers aggregare una Confraternita in quelle città nelle quali ne esiste già altra erettavi da quella di Beauvais.

4. Non essendovi nella Francia Religiose approvate dalla S. Sede, ed avendovi d'altronde molte Communità di quasi-Religiose che tengono scuole, e riunioni di giovanette tanto esterne, che convittrici, sarebbe assai utile l'erigere delle Confraternite nelle Chiese delle dette Educatrici; si domanda se possono erigersi?

Propositis supraenunciatis dubiis in sac. Congregatione Indulgentiarum habita die 29 Februarii 1864. apud Aedes Vaticanas, E.mi Patres, auditis prius Consultorum votis, responderunt — ad primum — Negative — Ad secundum — Generatim negative, obveniente autem gravi causa recurrat in casibus particularibus — Ad tertium — Negative — Ad quartum — Non expedire.

Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 29 Februarii 1864.

A. M. Card. Panebianco, *Praef.*

A Colombo, Secr.

XVI.

Ordinis Praedicatorum.

Cum Sacr. Cong. Iud. sacrisque Reliquiis praeposita declarasset per Decretum diei 19 Aug. 1747 approbatum et confirmatum sub. die 26 praedicti mensis a sa: me; Benedicto XIV. Sodalitates SS.mi Rosarii erectas inscio Magistro Generali Ordinis Praedicatorum, Indulgentiis in Brevi Apostolico expressis non gaudere, tamen plures Episcopi in propriis Dioecesibus etiam nunc sodalitates instituunt sub titulo SS.mi Rosarii vigore Apostolicarum facultatum, quae ab ipsis impetrantur in genere, erigendi nempe Sodalitates cujuscumque tituli et invocationis; itaque modernus Magister Generalis ejusdem Ordinis Praedicatorum eidem Sacrae Indulgentiarum Congregationi dubium solvendum proposuit.

— Utrum absque expressa mentione derogationis privilegii ordini praefato concessi, et sola vi generalis communicationis Indulgentiarum quibus gaudent Archiconfraternitates Urbis, Confraternitatibus, quae in aliqua Dioecesi sub iisdem titulis ab Ordinario eriguntur, concessae, etiam Societates sub titulo SS.mi Rosarii absque magistro Ordinis Praedicatorum institutae, Indulgentiis huic societati elargitis frui possint et valeant?

Cum autem praefatum dubium in Congregatione habita die 29 Februarii 1864 in Palatio Apostolico Vaticano ab E.mis Patribus fuerit rite discussum, respondendum esse duxerunt — Provisum per Responsum ab hac sac. Cong.ne die 19 augusti 1747, confirmatum a Benedicto XIV die 26 praedicti mensis, facto verbo cum SS.mo — Facta deinde per me infrascriptum substitutum SS.mo D.no N.ro Pio PP. IX relatione in audientia diei 11 aprilis ejusdem anni Sanctitas Sua votum Eminentissimorum Patrum benigne confirmavit, Etsi autem per praefatum Benedicti XIV, Decretum cautum sit ne in posterum, virtute Brevis Apostolici in genere impetrati, erigantur Confraternitates SS.mi Rosarii inconsulto Magistro Generali Ordinis Praedicatorum, tamen ne devotionis fervor tepescat, sed potius sodalium pietas magis augeatur et florescat, Sanctitas Sua Confraternitates tali modo hactenus erectas, dummodo nihil aliud obstet, motu proprio ac de plenitudine potestatis sanavit, et validas esse declaravit, contrariis quibuscumque etiam speciali mentione dignis, non obstantibus. Idem vero SS.mus Dominus Noster de plenitudine pariter potestatis voluit et expresse mandavit, ut in posterum Confraternitates SS.mi Rosarii nonnisi ad formam Decreti Benedicti XIV, erigantur, servatis insuper caeteris de jure servandis.

Datum Romae ex Secretaria sac. Congregationis Indulgentiarum die 11 aprilis 1864.

F^r A. Mª Card. Panebianco, *Praef.*

A. Archip. Prinzivalli, Subst.

XVII.

Monacen.

Presbyter quidem facultatem habens scapulare B. M. V. de monte Carmelo, et scapulare caeruleum Conceptionis Immaculatae compluribus dedit personis. Quae duo scapularia ita confecta et aptata fuerant, ut ambae partes unius Scapularis cum partibus alterius adunarentur, eademque chorda jungerentur. Per errorem vero ambo Scapularia ita male confecta fuerunt, ut nullum constituerent determinatum scapulare, binae enim partes ejusdem coloris ita componebantur, ut pars pectoralis nonnisi caerulea esset, et pars quae ad tergum descendebat nonnisi coloris tanaei vel viceversa. Unde Sacerdos Franciscus de Wimmes sequentium dubiorum supplex postulat solutionem 1° An scapulare dictae formae pro utroque scapulari valeat ?

Quod si affirmative 2° Numquid supplendum ; vel emendandum sit ?

Sive vero negative 3° Utrum dispensatio, an nova scapularium distributio sit necessaria ?

4° Quaerit orator a S. Congreg. facultatem distri-

buendi si opus sit personis de quibus supra, dicta ambo scapularia ?

S. C. respondit ad 1ª Negative et ad mentem : mens est valere dummodo partes unjuscujusque scapularis ita disponantur ut una ab humeris, altera a pectore dependeat, licet omnes uno funiculo connectantur.

Ad 2m. Provisum in primo.

Ad 3m. Supplicandum S.mo pro sanatione.

Ad 4m. Provisum in tertio.

Ita S. C. die 29 Augusti 1864.

SS.mus in audientia diei 26 Septembris ejusdem anni ab E.mo Card. Praefecto habitam petitam sanationem concessit.

A. M. Card. Panebianco, *Praef.*

A. Colombo, Secretarius.

XVIII.

Colonien.

Cum SS.mus D.nus N.r Pius PP. IX per litteras apostolicas in forma Brevis datas sub die 19 Decembris 1856 benigne indulserit ut Virgines Congregationis de Aquisgrana in Dioecesi Colonien collegialiter viventes, et sub nomine Pauperum Sororum regulam Tertii Ordinis S. Francisci profitentes omnibus et singulis Indulgentiis perfruantur, quae Tertio Ordini S. Francisci a S. Sede concessae sunt; ex tenore praefati Brevis, sequentia enata sunt dubia 1° Utrum istae Indulgentiae sint personales tantum Tertiariis Beati Francisci concessae, an etiam locales in ecclesiis minoriticae familiae ab omnibus Christifidelibus lucrandae ad ecclesias vel oratoria publica praefatarum Sororum accedentibus?

2° Utrum Sorores praefatae Tertio Ordini S. Francisci dein incorporentur per ipsam professionem religiosam in una Congregatione factam, quemadmodum de monialibus quae Elisebathinae vocantur, tenetur; an

unaquaelibet soror, velut personae laicae, in Tertium Ordinem a Sacerdote facultatem habente prius recipienda sit, donec ipsarum congregatio, ejusque statuta a S. Sede Apostolica particulariter approbentur?

S. C in comitiis generalibus habitis apud Vaticanas aedes die 29 Augusti 1864 respondendum censuit.

Ad primum. — Indulgentias censeri tantummodo personales in casu.

Ad secundum. — Recurrant ad S. C. Episcoporum et Regularium.

A. M. Card. Panebianco, *Praef.*

Ph. Can. Cossa, Substitutus.

XIX.

Cameracen.

Cum in civitate vulgo *Turcoing* nuncupata Archidioecesis Cameracensis hoc in nonnullarum piarum matrum more positum sit, ut parvulis suis etiam rationis usum nondum adeptis sacrum scapulare consueto ritu imponi faciant, superior domus religiosae Missionariorum societatis Mariae ejusdem civitatis, de hujusmodi impositionis validitate dubitans exquirit:

Utrum sufficiens sit isthaec scapularis impositio ut parvuli cum ad rationis usum pervenerint, indulgentiis, aliisque privilegiis illud gestantibus concessis frui possint et valeant?

S. C. in comitiis generalibus habitis apud Vaticanas aedes die 29 Augusti 1864, audito Consultoris voto, respondit: *Affirmative.*

A. M. Card. Panebianco, *Praef.*

Ph. Can. Cossa, Substitutus.

XX.

*Vallis Guidonis.

Cum pluries declaratum fuerit a S. Sede Sorores monasteriorum Galliae lucrari posse Indulgentias omnes quae Religiosis, seu Instituto Monialium solemnia vota emittentium secundum regulam respectivam concessae fuerunt; hinc quoad familiam Carmelitanam dubium exortum est:

An scilicet sororibus hujus Instituti in Gallia Benedictio Apostolica quater in anno cum Indulgentia plenaria, a Benedicto XIV Ordini Fratrum Beatae Mariae de Monte Carmelo concessa impertiri a Confessario aut Capellano pro tempore licite et valide possit? Et quatenus negative.

Supplicationes suas offerunt Sorores Carmelitae Vallis Guidonis pro gratia, earum nempe Confessario aut Capellano pro tempore benedictionem apostolicam impertiendi cum indulgentia plenaria.

S. C. in generalibus comitiis habilis apud Vaticanas aedes die 29 Augusti 1864, auditis consultorum votis, et re mature perpensa, respondit.

« Ad primam partem ». Negative.

« Ad secundam ». Non expedire.

A. M. Card. Panebianco, *Praef.*

Ph. Can. Cossa, Substitutus.

XXI.

Ordinis Cappuccinorum.

Circa coronam septem Gaudiorum B. Mariae Virginis, R. P. Generalis Procurator Ordinis FF. Min. Cappuccinorum duo obtulit dubia quae huic Sacrae Indulgentiarum Congregationi resolvenda proposita fuere.

1. Utrum Corona septem Gaudiorum B. M. V. in Ordine Seraphico ditata sit Indulgentia plenaria ?

2. An ad effectum lucrandi dictam Indulgentiam necesse sit ut praefatae coronae benedicantur ?

S. Congregatio in generalibus Comitiis habitis apud Vaticanas aedes die 29 Augusti 1864 respondendum duxit.

Ad primum — Affirmative.

Ad secundum — Negative.

A. M. Card. Panebianco, *Praef.*

Ph. Cossa, Substitutus.

XXII.

Societatis Jesu.

Per decretum hujus S. Indulg Congregationis latum die 8 Januarii 1861 super Institutionibus et aggregationibus Confraternitatum seu congregationum, injungitur ac praescribitur observantia Constitutionis Clementis fel. rec. PP. VIII incipiens « *Quaecumque* » circa modum instituendi et aggregandi confraternitates omnino adhibendum ab Ordinibus Regularibus et Archiconfraternitatibus, suborta hinc fuit dubitatio, num infirmari inde censeatur facultas instituendi et aggregandi, qua Congregatio primaria B. M. Virginis sub titulo Annunciationis in urbe fruitur.

Quapropter R. P. Praepositus Generalis S. J. huic S. Cong.ni sequens dubium proponendum curavit:

Utrum in praefato decreto 8 Jan. 1861 comprehendantur institutiones et aggregationes fieri solitae a Cong. B. M. V. ab Angelo salutatae in Collegio Romano erecta, nuncupata *Prima-Primaria*, juxta peculiarem et propriam formulam qua, vi concessionum plurium Sum-

morum Pontificum illius Societatis Moderatores usi sunt et adhuc utuntur ?

S C. in generalibus comitiis habitis apud Vaticanum die 29 Augusti 1864, auditis Consultorum votis, et re mature perpensa respondendum duxit « *Non comprehendi* ».

A. M. Card. Panebianco, *Praef.*

Ph. Cossa, Substitutus.

XXIII.

Tornacen

Proposito dubio huic Sacrae Indulgentiarum Congreg. per Jo. Baptistam Falise in Dioecesi Tornacensi Parochum.

« Utrum ad effectum lucrandi Indulgentias a Summis Pontificibus concessas Fidelibus qui orationem vulgo dictam *Angelus Domini* certis quibusdam diei horis ad Campanae pulsum pie recitaverint, requiratur ut Campana sit ritu ab Ecclesia praescripto benedicta? »

Sac. Congregatio die 29 Agusti 1864 respondit.

« Negative »

Datum Romae ex Secretaria ejusdem S. Congregationis die 29 Augusti 1864.

XXIV.

Declaratio.

Cum pro nonnullis precibus latino vel italico sermone confectis concessae fuerint Indulgentiae, addita facultate easdem preces recitandi quocumque idiomate, dummo versio sit fidelis, et aliquando adjectum, « et approbata ab Ordinario loci, vel a respectivis Ordinariis », singillatim autem pro Orationibus in Collectione Romana Edit. XIII contentis Indulgentias acquiri eas recitando in quodcumque idioma translatas, dummodo versiones sint fideles; in Audientia habita die 29 Decembris 1864 ab infrascripto Cardinali Praefecto Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX benigne declaravit Indulgentias adnexas precibus valere quocumque idiomate recitentur dummodo versiones sint fideles. Licet autem pro lucranda Indulgentia requiratur versionis fidelitas, ut vero constet de fidelitate versionis sufficit Declaratio Sac. Congregationis Indulgentiarum per E.mum Praefectum vel unius ex Ordinariis loci ubi vulgaris est lingua in quam vertitur oratio, cujus recitationi primitus Indulgentia concessa fuit.

A. M. Card. Panebianco, *Praef.*

XXV

Urbis et Orbis

Cum non sit aliud Nomen sub Coelo, in quo nos oportet salvos fieri, nisi Nomen Jesu in quo est vita, salus, et resurrectio nostra, per quem salvati et liberati sumus, idcirco Sixtus V. fel. rec. Pont. Max. sub die 11 Julii 1587 in Bulla *Reddituri* Indulgentiam concessit quinquaginta dierum omnibus et singulis Christifideibus qui quocumque idiomate sic se salutaverint: *Laudetur Jesus Christus*: vel responderint *In saecula*, vel *Amen*, aut *Semper*, plenariam vero in mortis articulo iis qui hanc laudabilem consuetudinem habuerint, modo ore, vel corde (si ore non potuerint) Jesu nomen invocaverint.

Nonnullis deinde in locis cum mos invaluisset Jesu Nomini et illud Mariae in se invicem salutando addere, Clemens PP. XIII ad humillimas preces Generalis Ordinis Carmelitarum per Decretum die 30 Novembris 1762 benigne impertitus est pro Carmelitis eamdem Indulgentiam quinquaginta dierum quotiescumque in mutua

salutatione verba usurpaverint « *Sia lodato Gesù e Maria.* »

Nunc vero SSmus Dominus Noster PIUS PAPA IX nonnullonum Episcoporum precibus peramanter inclinatus, referente me infrascripto Sacrae Congregationis Indulgentiarum Cardinali Praefecto in Audientia diei 26 Septembris 1864, ut magis magisque Fideles utriusque Nominis Jesu et Mariae salutares percipiant effectus, et illa quam saepissime in ore et corde retineant, eamdem concessionem ad omnes et singulos Christifideles extendit, ita ut qui se invicem salutando hac forma, in quocumque idiomate, utantur « *Sia lodato Gesù e Maria* » vel responderint « *Oggi e sempre,* » aut similibus verbis, easdem plane Indulgentias, quae in praefata Bulla memorantur, consequi possint et valeant. Quam gratiam voluit SANCTITAS SUA perpetuo suffragari absque ulla Brevis expeditione.

Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis Indulgentiis, Sacrisque Reliquiis praepositae die 26 Septembris 1864.

FR. ANTONIUS M. CARD. PANEBIANCO, *Praefectus*

A Colombo, Secretarius.

XXVI

URBIS ET ORBIS

Cum in patrocinio S. Josephi Sponsi B. Mariae Virginis maxima Populo Christiano juvaminis et praesidii spes in dies effulgeat, SANCTISSIMUS DOMINUS NOSTER PIUS PAPA IX, quamplurium Fidelium votis benigne annuens per Rescriptum Secretariae Brevium die 12 Junii 1855 concessit omnibus Christifidelibus peragentibus integro Mensio Martio pium exercitium quod in Libro Romae impresso continetur cui titulus. *Considerazioni delle virtù del S. Patriarca Giuseppe a dedicargli il mese di marzo :* Indulgentiam tercentum dierum quolibet die, plenariam vero in uno dierum Mensis ad arbitrium eligendo, quo confessi et Sacra Communione refecti juxta Mentem SANTICTATIS SUÆ oraverint.

Nunc vero Idem Sanctissimus ut erga tantum coelestem Patronum devotio magis magisque augeatur, et illa precationis methodus facilius ac latius propagetur, in Audientia diei 27 Aprilis 1865 habita ab infrascripto

Cardinali Praefecto clementer indulsit ut easdem Indulgentias universi Christifideles lucrari possint dummodo pium aliquod precum ac virtutum exercitium per integrum mensem Martium peregerint ad instar illarum quae Mense Majo in honorem B. M. V. solent persolvi, servato in reliquis tenore primae concessionis. Voluitque SANCTITAS SUA has Indulgentias animabus Fidelium defunctorum per modum suffragii posse applicari; et perpetuis futuris temporibus absque ulla Brevis expeditione valituras.

Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiarum die 27 Aprilis 1865.

FR. ANTONIUS M. CARD. PANEBIANCO, *Praefectus.*

A. Colombo Secretarius.

XXVII.

URBIS ET ORBIS.

Quantum in Populo Christiano tum familiarum, tum salutis communis intersit Juventutem sequioris sexus adeo instituere, et praecipue sanctissimae Religionis nostrae subsidiis a tenera adhuc aetate munire, ut pietatis operibus intenta succrescens, a recto, quem semel suscepit, tramite, *etiam cum senuerit, non recedat*, satis experientia, et ratione compertum est. Inter caetera autem, quae huic fini inservire dignoscuntur, adnumeranda quidem pia illa Sodalitia, quae praesertim sub Beatissimae Mariae Virginis titulo canonice instituta et erecta, toties a Sede Apostolica non solum commendata, sed spiritualibus Indulgentiarum auxiliis ditata inveniuntur, et quae potissimum *Filiarum Mariae* nomine circumferuntur.

Nuper vero cum in Basilica S. Agnetis extra moenia Urbis similis Pia Sodalitas fuerit canonice erecta sub titulo et patrocinio *Beatae Mariae Virginis Immaculatae, et S. Agnetis Vig. et Mart.* et per Litteras Apostolicas datas die 16. Januarii 1866, amplissimis Indulgentiarum muneribus locupletata; et per aliud Breve datum die 16 Februarii 1866, in Primariam, seu Archisodalitatem fuerit erecta, ita ut eidem jus compe-

tat aggregandi caeteras Sodalitates ejusdem nominis, et instituti ubique locorum erectas, vel erigendas, eisdemque communicandi omnes, et singulas Indulgentias praefatae Archisodalitati concessas, vel concedendas, servata tamen forma Constitutionis Clementis VIII. incip. *Quaecumque*; nunc tandem Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX. ad humillimas preces Moderatoris ejusdem Archisodalitatis, cum maxime puellarum bono expedire judicaverit plures etiam in eodem loco hujusmodi Sodalitates institui, et erigi; in Audientia habita ab Eminentissimo Cardinali Praefecto die 30 Augusti currentis anni 1866, benigne mandavit ut quoad praedictas Sodalitates nulla distantiae ratio habeatur, sed liceat Episcopis, prout opportunum in Domino judicaverint, plures in Civitate, vel Dioecesi hujusmodi odalitates instituere, et erigere; quae sic institutae, et erectae jam dictae Archisodalitati aggregari possint, et valeant, et ad Indulgentiarum communicationem admitti, ita ut in ipsis Ecclesiis ubi respectivae Sodalitates fuerint erectae, praeter functiones secundum statuta obiri solitas, etiam visitationes peragi possint, quoties hae ad Indulgentiarum acquisitionem praescriptae inveniantur, servata in reliquis Constitutione Clementis VIII. et coeteris de jure servandis. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 30 Augusti 1866.

Fr. Antonius M. Card. Panebianco, *Praef.*

A. Colombo. Secretarius.

XXVIII.

RESPONSORIUM

IN HONOREM

S. ANTONII PATAVINI

Si quaeris miracula,
Mors, error, calamitas,
Daemon, lepra fugiunt,
Aegri surgunt sani.
Cedunt mare, vincula,
Membra, resque perditas
Petunt, et accipiunt
Juvenes, et cani.
Pereunt pericula,
Cessat et necessitas;
Narrent hi, qui sentiunt,
Dicant Paduani.
Cedunt mare, vincula,
Membra, resque perditas
Petunt, et accipiunt
Juvenes, et cani.
Gloria Patri, et Filio,
Et Spiritui Sancto.

Cedunt mare, vincula,
Membra, resque perditas
Petunt, et accipiunt
Juvenes, et cani.

℣. Ora pro nobis Beate Antoni.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS

Ecclesiam tuam, Deus, Beati Antonii Confessoris tui commemoratio votiva laetificet, ut spiritualibus semper muniatur auxiliis, et gaudiis perfrui mereatur aeternis. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

DECRETUM

URBIS ET ORBIS

Ex Audientia Sanctissimi die 25 *Januarii* 1866.

Ad humillimas preces P. F. Ludovici Marangoni Vic. Generalis Ordinis S. Francisci Min. Conventualium Sanctissimus Dominus Noster PIUS PAPA IX peramanter inclinatus, in Audientia habita ab E.mo Card. Praefecto die 25 Januarii 1866 universis utriusque sexus Christifidelibus qui corde saltem contrito Responsorium cujus initium « *Si quaeris miracula* » cum versiculo et oratione adnexis in honorem S. Antonii Patavini devote recitaverint, Indulgentiam centum dierum pro qualibet vice clementer concessit. Iis autem Christifidelibus qui supradictas preces per integrum mensem quotidie saltem semel effuderint, Indulgentiam plenariam unica tamen cujuslibet mensis die uniuscujusque arbitrio eligenda, qua vere poenitentes confessi, et Sacra Communione refecti aliquam Ecclesiam, seu publicum Oratorium devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pie ora-

verint, benigne est elargitus. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiarum die 25 Januarii 1866.

Fr. Antonius M. Card. Panebianco, *Praef.*

A Colombo, Secretarius.

XXIX.

Urbis.

In Constitutionibus Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo Romae editis anno 1825 ad lucrandum Privilegium *Sabbatinum* appellatum quod adscriptis sodalitati ejusdem tituli habetur — Litteras habentes Officium saltem parvum B. Virginis quotidie recitare — et in libello instructionis anno 1840 in Urbe inpresso reperitur — Qui sciunt legere tenentur recitare horas canonicas in Officio magno vel parvo. — Ex parte itaque R.mi Prucuratoris Gen.lis Cong.nis SS. Redemptoris suppliciter S. Con.gni Indulgentiarum, et SS. Reliquiarum proposita sunt resolvenda sequentia dubia.

1° Num Confratres S. Scapularis valentes Officium recitare teneantur saltem ad parvum B. V. Officium persolvendum pro assequenda Indulgentia Sabbatina.

2° Num Officium parvum recitandum sit secundum ritum romanum.

3° Num dictum Officium parvum quotidie sit recitandum.

4° Num totum Officium parvum quotidie sit recitandum, vel unum Nocturnum cum laudibus.

E.mi Patres in Cong.ne Generali habita in Palatio

Aplico Vaticano die 20 Julii 1868 audito prius Consultoris voto, rebusque mature perpensis respondendum esse duxerunt.

Ad 1m — Affirmative, exceptis iis, qui jam tenentur ad recitationem divini Offici.

Ad 2m — Affirmative, nisi quis habeat proprium ritum a S. Sede approbatum.

Ad 3m — Affirmative.

Ad 4m — Recitandum esse nocturnum diei cum laudibus et ceteras horas ejusdem Officii.

Et facta de praemissis relatione SS.mo D. N. Pio PP. IX. a me infrascripto Card. Praefecto in Aud. habita die 18 Augusti 1868 Sanctitas Sua resolutionem S. Cong.nis ratam habuit. Datum Romae ex Secria ejusdem S. C. die et anno ut supra.

A. Card. Bizzarri *Praef.*

A Colombo Secrius.

XXX.

Aurelianen.

Etsi Vicarius generalis vi officii sibi generaliter commissi expedire possit ea negotia quae ad ordinariam Episcopi jurisdictionem spectant; nonnulla tamen exercere nequit sine speciali Episcopi mandato; ea nempe quae vel ex jure scripto, vel ex causae gravitate specialem commissionem requirunt. Inter haec autem adcensendam esse Confraternitatum erectionem tum docent doctores, tum inferri videbatur ex resolutione sacrae Rituum Congnis. edita die 7 Octobris 1717 qua Epo Elboren respondit — Nemini licere inconsulto Epo, in sua Diocesi erigere et creare de novo Confraternitates, et earum Statuta confirmare, quae omnia privative quo ad alias ad Epum. tantum pertinent in sua Dioecesi —

Propterea Vicarius genlis. non potest pariter vigore officii sui se ingerere in exequutione litterarum Aplicarum pro huiuscemodi Indultis, si haec fuerint Epo. directa, nisi potestas subdelegandi eidem facta fuerit, suumque Vicarium genlem reapse subdelegaverit. Id confirmatum reperitur ab hac S. C. in una Gratianopo-

litana diei 24 Maii 1843 — Cum enim Epus. Gratianopolitan ab Aplica. Sede obtinuisset praeter alias facultates, licentiam erigendi in sua Dioecesi plures sodalitates; quaesitum fuit a S. C. utrum duo Vicarii Genles. ejusdem Epi qui cum ipso unam personam moralem efficiebant saltem quoad jurisdictionem ordinariam, uti possent facultatibus praedictis scilicet sodalitates erigendi etc. S. C. respondit — Indulta seu facultates de quibus in proposito dubio, etsi non cadant in propriam Epi. utilitatem, sed in gratiam dioecesanorum; non sunt tamen de ordinaria sua potestate ad rectam necessariamque animarum sibi commissarum administrationem ordinata; ita ut, eo absente, vel morbo laborante, sive nimiis occupationibus impedito, vices pro eo alius gerat, tamquam ab ipso legitime delegatus, sed cum sint potius favores, quos idem Epus. ab Aplica. Sede personaliter impetraverit, tunc ab Epo. tantum erunt fidelibus sibi creditis distribuendi, nisi in precibus Aplicae. Sedi delatis eos postulasset iis verbis, aut similibus, nempe sive per se, vel per suos Vicarios Genles. erigendi, communicandi etc.

Denique in Constitutione Clem. VIII. incip. Quaecumque etc. cum praecipiatur. Aggregationem Confraternitatum faciendam esse praevio loci Ordinari consensu, et cum ejusd. litteris testimonialibus; et praeterea statuta earumd. Confraternitatum non posse impartiri nisi ea prius ab Epo. Dioecesano examinata et pro ratione loci approbata fuerint, in utrisq. casibus venire solum Epum. inferebatur tum ex verbis Constitutionis, tum ex natura rei; ita ut Vicarius Genlis. speciali ad id mandato indigeat. Per Aggregationem enim Confraternitas quadam nova erectione perficitur, et per Statutorum traditionem, privilegiorum, indulgentiarum communicationem ad sublimiorem statum evehitur. Unde

hic Ordinarii appellatione solum Epum. designari visum est, quemadmodum in casu, de quo in Tridentina Synodo sess. 23. cap. 8 de Reform. hisce verbis — Unusquisque autem a proprio Epo. ordinetur. Quod si quis ab alio ordinari petat, nullatenus id ei permittatur, nisi ejus probitas et mores Ordinarii sui testimonio commendentur — Ordinarii autem nomine hic intelligi Epnm. non vero Vicarium Genlem. nisi antea speciale mandatum ei ab Epo. tributum fuerit, omnes tradunt Doctores, ita ut Vicarius Genlis. absque eo dimissoriales, seu testimoniales litteras ad effectum suscipiendi Ordines concedere minime possit.

Nil mirum igitur quod Vicarius Genlis. Epi. Aurelianen quatuor sequentia dubia Sac. Congni. enodanda proposuerit nempe.

1° Cum Epus. obtinuerit facultatem a Sede Aplica. erigendi Confraternitates cum respectivis Indulgentiis, possit ne Vicarius Genlis. id praestare absque speciali delegatione Epi?

2° Potest ne Vicarius Glis. auctoritate ordinaria erigere Confraternitates absque delegatione Epi., ita ut erectio sic peracta canonica sit?

3° Utrum Vicarius Genlis. possit valide concedere Litteras testimoniales ac consensum requisitum a Clem. VIII. pro aggregatione Confraternitatum?

4° Utrum Vicarius Genlis. possit approbare Statuta Confraternitatum?

Quibus Emi. Patres in comitiis Generalibus apud Vaticanas Aedes habitis die 20 Julii 1868 audito Consultoris voto et re mature perpensa rescribendum duxerunt.

Ad. 1m — Negative, nisi Epo subdelegandi potestas in Aplico. Indulto concessa fuerit, suumque Vicarium Genlem. subdelegaverit

Ad 2^{m} — Negative.

Ad 3^{m} — Negative.

Ad 4^{m} — Negative et supplicandum SSmo. pro sanatione quoad praeteritum.

Et facta de praemissis relatione SSmo. D. N. Pio PP. IX. in Aud. habita ab infro. Card. Praef. die 18 Augusti 1868 Sanctitas Sua resolutionem S. C. approbavit et confirmavit, et sanationem erectionum Confraternitatum, et approbationum Statutorum a Vicariis Genlibus. usque ad totum currentem diem 18 Aug. 1868 factarum, nec non aggregationum, quae cum litteris testimonialibus et consensu Vicariorum Generalium locum huc usque habuerunt, benigne impertita est. Contrariis quibuscumq. non obstantibus. Datum Romae ex Secria. ejusd. S. C. die et anno ut supra.

A. Card. Bizzarri *Praef.*

A. Colombo Secrius.

XXXI.

Cameracen.

Nonnunquam accidit, praesertim Sac. Missionum tempore ut cum Sacerdos ad id legitime deputatus Scapulare B. M. V. de Monte Carmelo aliudve Fidelibus imponit deficiant Scapularia priusquam omnium fidelium votis satisfieri potuerit; hinc superior Domus religiosae Missionariorum Societatis Mariae in Civitate vulgo Tourcoing nuncupata Archidioecesis Cameracensis humiliter supplicat, S. Congni. Indulg. Sacrisq. Reliq. praepositae pro sequentium dubiorum solutione.

1° Utrum unum, idemque scapulare semel benedictum valide possit pluribus per vicem imponi, repetita solummodo super singulis, receptionis sive impositionis formula?

2° Utrum hujusmodi formula usurpari solita in actu impositionis Scapularium essentialis sit, ut quis Scapulare rite accepisse censeatur, jusque habeat ad Indulgentias

illud ferentibus concessas, an vero absque Indulgentiarum dispendio possit omitti, praesertim in morbis, aliove urgenti casu?

3° Ex Indulto s. m. Gregorii XVI. sub. die 30 Aprilis 1838 necessarium amplius non est ad Indulgentias acquirendas, ut inscribantur in Confraternitatis libro nomina fidelium qui B. M. V. de Monte Carmelo Scapularia recipiunt; quaeritur utrum idem dicendum de aliis Scapularibus a S. Sede approbatis?

Itaque Emi. Patres in Congne. generali habita in Palatio Aplico. Vaticano die 20 Juli 1868 audito prius Consultoris voto, rebusque mature perpensis rescripserunt,

Ad 1^{m} — Affirmative, ita tamen ut primum Scapulare, quod deinceps adscriptus induere debet sit benedictum.

Ad 2^{m} — Tam ad primam quam ad secundam partem proferenda esse verba quae sunt substantialia ad formam Decreti hujus S. Cong.nis diei 24 Augusti 1844 quod sic se habet — Urbis — An rata sit fidelium adscriptio Confraternitati B.M.V. de Monte Carmelo, quae fit a Sacerdotibus quidem facultatem habentibus non servata tamen forma in Rituali et Breviario Ord. Carmelitarum descripta. S. C. respondit — Affirmative — Dummodo Sacerdotes facultatem habentes non deficiant in substantialibus, nempe in Benedictione, et impositione habitus, ac in receptione ad Confraternitatem. Ita declaravit S. C. die 24 Augusti 1844.

Ad 3^{m} — Negative.

Et facta de praemissis relatione SS. D. N. Pio PP. IX. a me infrascripto. Card. S. Cong.nis Praefecto in Aud. habita die 18 Augusti 1868 Sanctitas Sua reso-

lutionem S. Cong.nis ratam habuit. Datum Romae ex Secretaria ejusd. S Con.gnis Indulgentiar. et SS. Reliquiar. die et anno ut supra.

A. Card. Bizzarri. *Praef.*

A. Colombo Secrius.

XXXII.

Firman.

Hodiernus Director Piae Unionis sub titulo Patrocinii S. Joseph in Civitate Firmana et Archicontraternitati ejusdem Tituli Romae existenti in Ecclesia S. Rochi aggregatae metuens ne ob Decreta alias edita a suprema Universali Inquisitione nempe Feria V 17 Novembris 1689, et Feria V 12 Julii 1703 adscribi possent eidem Piae Unioni extradiocesani; S. Tribunali suppliciem libellum porrexit. E.mi Patres eumdem remitti mandarunt ad S.Cong.nem Indulgentiarum et SS. Reliquiarum, in qua omnibus ad examen revocatis propositum est sequens dubium.

Utrum Pia Unio sub titulo Patrocinii S. Joseph Firmi canonice erecta et legitime aggregata Archiconfraternitati ejusdem tituli de Urbe possit adscribere extraneos id postulantes.

E.mi Patres in Cong.ne Gen.li habita in Palatio Ap.lico Vaticano die 20 Julii 1868 audito prius Consultoris voto, reque mature perpensa rescripserunt.

— Affirmative, dummodo omnia concurrant, quae pro adscriptione requiruntur. —

Et facta de praemissis relatione SS.mo D. N. Pio PP. IX in Aud.ª habita a me infr.o Card. Praef., die 18 Augusti 1868 Sanctitas Sua resolutionem S. C. confirmavit. Datum Romae ex Secretaria S. Cong.nis Indulg. et SS. Reliq. die et anno ut supra.

A. Card. Bizzarri, *Praef.*

A. Colombo, Secretarius

XXXIII.

Urbis.

Ex quo parva Scapularia, quae Fideles gestare solent in sua origine et institutione aliud non sint quam Scapularia variis Ordinibus Religiosis propria pro majori Fidelium commoditate ad parvam formam redacta, enata sunt dubia a R.mo P. Procuratore Gen.li Cong.nis SS. Redemptoris S. Con.gni Indulgentiarum, et SS. Reliquiarum proposita solvenda, quae tam ad antiqua, quam ad recentiora Scapularia referuntur, scilicet.

1° Utrum ad Scapularia conficienda necessario et exclusive adhibenda sit *materia ex lana*, vel utrum sumi etiam possit cylinum (cottone) aliave similis materia. Et quatenus affirmative ad primam partem, et negative ad secundam.

2° Utrum vox *Pannus, Panniculus* ab Auctoribus communiter usurpata sumi debeat in sensu stricto i. e. de sola lanea textura reticulata (lavoro di maglia, tricotage) an de quocumque laneo opere acu picto (ricamo broderie) adhibito tamen semper colore praescr.pto?

3° Utrum validum sit scapulare ex panno laneo

coloris praescripti quod intexta, vel acu picta habet *ornamenta* pariter ex lana sed diversi coloris?

4° Utrum validum sit scapulare ex panno laneo coloris praescripti quod intexta, vel acu picta habet ornamenta ex materia non lanea v. gr. ex serico, argento, auro etc.

5° Hucusque generalis viguit usus conficiendi Scapularia formae oblongae, vel saltem quadratae. Nunc autem quibusdam in regionibus introducitur usus conficiendi Scapularia formae rotundae vel ovalis imo et multangulae. Quaeritur itaque utrum alia forma praeter oblongam et quadratam obstet validitati scapularis.

6° Permultis in regionibus laudabilis viget usus a S. Sede approbatus gestandi per modum unius plura simul inter se diversa Scapularia quo in casu variorum scapularium panniculi alii aliis superpositi duobus tantum funiculis assuuntur, ita tamen ut singularium Scapularium panniculi dependeant tam a pectore, quam ab humeris. Non raro autem haec Scapularia unita sic conficiuntur ut loco plurium panniculorum diversi coloris, unicus tantum in utraque funiculorum extremitate panniculus habeatur, in quo conspicitur *ornamentum intextum*, vel *acu pictum* ex diversis coloribus ad significanda plura diversa Scapularia. Quaeritur utrum haec Scapularia sint valida?

Itaque Emi. PP. in congregatione generali habita in Palatio Apostolico Vaticano die 20 Iulii 1868, audito prius Consultoris voto, rebusque mature perpensis rescribendum esse duxerunt.

Ad 1.^{m} — Affirmative ad primam partem.
Negative ad secundam.
Ad 2.^{m} — Affirmative ad primam partem.
Negative ad secundam.

Ad 3.m — Affirmative ; dummodo ornamenta talia sint ut color praescriptus praevaleat.
Ad 4.m — Ut in praecedenti.
Ad 5.m — Nihil esse innovandum.
Ad 6.m — Negative.

Et facta de praemissis relatione SS.mo D.no N.ro Pio PP. IX a me infrascripto Card. Praefecto in Audientia habita die 18 Augusti 1868 Sanctitas Sua resolutionem S. Cong.nis ratam habuit. Datum Romae ex Secretaria ejusdem S. Cong.nis Indulg. et SS. Reliquiar, die et anno ut supra.

A. Card. Bizzarri. *Praef.*

A. Colombo, Secretarius.

XXXIV.

Societatis Jesu.

S. Congregationi expositnm fuit quod inter Ecclesias in qnibus PatresS ocietatisJesu exercent sacrum Ministerium, praesertim post politicas superioris huiusque saeculi perturbationes, aliquae olim ad societatem ipsam pertinebant, eidemque denuo restitutae sunt, aliae tamen ad Societatem Jesu numquam proprie pertinuerunt, sed earum cura eidem societati concredita est, ut ibidem obeat sui Ordinis Ministeria. Quaerebatur porro utrum in utriusq. generis Ecclesiis Fideles lucrari possint Indulgentias, quae a S. Sede Apostolica concessae sunt visitantibus Ecclesias Soc. Jesu occasione quorumdam festorum ex. gr. S. Ignatii, S. Aloisii etc.

Relate ad primam partem quaesiti nulla occurrebat difficultas; si enim illegitime Ecclesiae sublatae fuerint, in casu restitutionis non solum de iure, sed etiam de facto ad societatem ispam spectant. Si vero aliqua Ecclesia a societate canonice subtracta sit, et deinde canonice pariter restituta, ad pristinum statum rediisse minime ambigendum est.

Sed cum relate ad secundam quaesiti partem rescriptum fuisset ut clarius exponeretur, factum est hisce verbis: È nato dubbio se queste Indulgenze possano guadagnarsi dai Fedeli non solo in quelle Chiese che sono in vero senso proprie della Compagnia, ma eziandio in quelle altre, che sono date solamente in uso alla Compagnia. A questa specie appartengono p. es. quelle la cui proprietà è realmente di Vescovi rispettivi, ma che quanto all'uso stabile e totale sono affidate alla Compagnia e sogliono chiamarsi Chiese de' Gesuiti.

Pluries haec S. Congr. resolutiones ediderat, quae ad propositum dubium aliquo modo referri possent. Et revera die 11 Januarii 1862 declaraverat omnes et singulas Cappellas publicas FF. Ordinis S. Francisci de Observantia Reformatorum nuncup. in Germania, Polonia, Hungaria etc. existentes gaudere, donec residentiam inibi praefati Fratres duxerint, omnibus et singulis Indulgentiis et privilegiis, ceteris Ecclesiis eiusd. Ord. generaliter concessis, dummodo ad illas Cappellas Christifideles ad sacrum audiendum, et ad percipienda Ecclesiae Sacramenta confluant. Etiam antea die nempe 27 Martii 1732 eadem haec. S. C. ad preces Procuratoris Generalis FF. Ord. Min. S. Francisci Cappuc. nuncup. censuerat Ecclesias,Cappellas, et Oratoria publica in Residentiis et Hospitiis Missionum praefati Ordinis gaudere Indulgentiis generaliter concessis omnibus Ecclesiis Ordinis eiusd., dummodo tamen Ecclesiae et Oratoria sint publica et fixa, et ad quae confluant Fideles ad sacrum audiendum, et ad recipienda Ecclesiae Sacramenta « In hisce autem casibus vel agebatur de Ecclesiis et Cappellis propriis illorum Ordinum, vel quaestio respiciebat qualitatem dumtaxat Cappellarum, atque Ecclesiarum.

At vero aliter se res habuit quando actum fuit de Ecclesiis saecularium, in quibus per Religiosos divina officia seu sacramenta administrabantur; tunc enim minime declaratum est praedictas Ecclesias Indulgentiis gaudere, sed potius speciale Indultum communicationis Indulgentiarum concessum est. Ita inter coetera indultum fuit per litteras Apostolicas dat. die 25 Junii 1765 ut Christifideles aliquam ex Ecclesiis Saecularium visitantes, quae in Provinciis ultra montes a FF. Ord. Min. Cappuc. administrantur, eas indulgentias consequantur, quas consequerentur si aliquam ex Ecclesiis Ordinis visitarent.

Non immerito igitur distinguendae erant Ecclesiae quae saltem, quoad usum propriae Ordinis dici possunt, ab Ecclesiis in quibus Religiosi divina officia et Sacramenta tantum administrant, quin ullo modo propriae Ordinis dici possint, prout sunt Ecclesiae Arcium, Stationum Militum, et aliae huiusmodi, quibus aliqui Religiosi in spiritualibus inserviunt; cum priores quidem Indulgentiis gaudeant, non vero secundae, nisi speciale Apostolicum indultum obtentum fuerit.

Rebus huc adductis, opportunum visum fuit in casu exquirere a R.mo P. Praeposito G.li S. I. an circa propositum dubium aliquid addendum existimaret, qui reapse ad ceteras animadversiones addidit responsum sui Praedecessoris P. Vincentii Caraffa datum die 6 Maii 1647, quod sic se habet: Quaestione hic super agitata; tandem iudicatum fuit: Templa aliena simpliciter concessa nostris usibus, adeo ut quoad usum censeri possint nostra, gaudere privilegiis et Indulgentiis templorum Societatis, quamdiu in his tamquam suis exercet sua ministeria.

Quare tota quaestio in quatuor sequentia dubia di-

stributa fuit, quae S. Congregationi solvenda proposita fuere.

1° An Christifideles Indulgentias concessas a S. Sede visitantibus Ecclesias Societatis Jesu lucrari possint visitando Ecclesias, quae olim ad Societatem ipsam pertinebant, eidemque denuo restitutae sunt?

2° An quoad alias Ecclesias, quae numquam proprie ad Societatem ipsam pertinuerunt, sed earum cura eidem Societati legitime concredita est, ut ibidem obeat sui ordinis Ministeria approbandum sit responsum datum a P. Vincentio Caraffa die 6 Maii 1647?

Et quatenus affirmative.

3° Quasnam conditiones habere debeat concessio usus, ut Ecclesiae concreditae quoad usum ipsum censeri possint nostrae, nempe ipsius Societatis?

Et quatenus negative.

4° Quomodo secundo dubio respondendum sit?

Itaque E.mi PP. in generalibus Comitiis habitis apud Vaticanas aedes die 20 Julii 1868 auditis Consultorum votis, et rebus mature perpensis rescribi mandarunt:

Ad 1m Affirmative

Ad 2m Affirmative dummodo penes Ecclesias, de quibus agitur PP. Soc. Jesu resideant, et ministeria propria inibi obeant.

Ad 3m Concessionem usus debere esse legitimam, et usum constantem ac plenum, et dummodo huiusmodi Ecclesiae sint publicae.

Ad 4m Provisum in secundo.

Facta denique de his omnibus SS.mo D. N. Pio PP. IX relatione ab infrascripto Card Praefecto in Audientia diei 18 Augusti eiusdem anni, Sanctitas Sua Sacr.

Congregationis resolutionem benigne approbavit et confirmavit. Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Indulg. et SS. Reliq. die et anno ut supra.

A. Card. Bizzarri *Praef.*

A Colombo Secrius.

XXXV.

Editis Litteris Apostolicis in forma Brevis die 11 aprilis 1869, quibus SS.mus D. N. PIUS PP. IX omnibus Christifidelibus Indulgentiam Plenariam in forma Jubilaei occasione Oecumenici Concilii concessit, huic S. Congregationi Indulgentiarum, et SS. Reliquiarum infrascripta proposita sunt dubia praesertim circa ieiunia quae Christifideles servare debent, ut Indulgentiam huius Jubilaei lacrari valeant. Quibus sedulo perpensis S. Congregatio, benigne annuente SS mo Domino, respondendum censuit prout respondet.

Dubium 1.

Inconcussi iuris est, operibus alias praeceptis satisfieri non posse obligationi de operibus iniunctis ad acquirendas Indulgentias, nisi aliud constet expresse de mente Concedentis; nihilominus pro hoc Jubilaeo oritur dubium, quia in Litteris Apostolicis legitur « *praeter consueta quatuor anni tempora, tribus diebus etiam non continuis, nempe quarta et sexta feria, et sabbato ieiunaverint.* » Quaeritur an standum sit regulae generali, ita ut ad effectum lucrandi Indulgentiam omnes dies ieiunii ad quod quisque

tenetur; vel dies ieiunii quatuor anni temporum dumtaxat excludantur?

R. Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam.

Dubium 2.

An ieiunia quatuor anni temporum, attenta voce illa *praeter*, ultra tria ieiunia pro Jubilaeo expresse praescripta, habenda sint uti opus iniunctum ad Indulgentiam acquirendam?

R. Negative.

Dubium 3.

An iis, qui aut voto, aut praecepto, uti sunt Franciscales, aut quocumque alio titulo tenentur toto anni tempore ieiunare, aliquo die ex diebus praescriptis pro Jubilaeo, suffragetur tale ieiunium ad lucrandam Indulgentiam?

R. Affirmative.

Dubium 4.

Cum Religiosi S. Francisci teneantur ieiunare a secunda die novembris usque ad Nativitatem Domini, quaeritur, utrum, hoc decurrente tempore, ipsi possint unico ieiunio tribus praescriptis diebus facto, satisfacere duplici obligationi tum praecepti, tum Jubilaei?

R. Permittitur ex speciali Sanctitatis Suae indulto dummodo esurialibus tantum cibis pro dictis tribus Iubilaei ieiuniis utantur, quamvis fortasse ab usu ci-

borum esurialium dispensationem pro dicta Quadragesima obtinuerint

Dubium 5.

An idem dicendum sit pro Quadragesima Ecclesiae etiam quoad Christifideles?

R. Permittitur ex speciali Sanctitatis Suae indulto, ut in responsione ad quartum dubium et cum eadem conditione in ea apposita.

Dubium 6.

Utrum ieiunia pro Jubilaeo praescripta debeant esse *ieiunia stricte sumpta*, etiam quoad qualitatem ciborum sicuti ea, quae ex Ecclesiae praecepto adimplenda sunt, quin tamen quis uti possit indultis, si quae pro ieiuniis Ecclesiae obtenta fuerint?

R. Affirmative, nisi aliquod speciale indultum, in quo etiam de Jubilaei ieiunio expressa mentio fiat, obtineatur.

Dubium 7.

Si quis indultum vescendi carnibus etiam pro ieiuniis Jubilaei consequatur, teneturne lege de non permiscendis epulis, nempe carnibus cum piscibus?

R. Affirmative.

Dubium 8.

An ii, qui ad statutam aetatem pro ieiunii obligatione nondum pervenerint, nec non operarii, aliique, qui

ob legitimam causam ad ieiunia ab Ecclesia praecepta non tenentur, debeant ieiunare, ut Indulgentiam Jubilaei lucrentur?

R. Affirmative. Quod si iudicio Confessarii id praestare nequiverint, Confessarius ipse poterit ieiunium in alia pia opera commutare.

Dubium 9.

In Litteris Apostolicis legitur « *tribus diebus etiam non continuis* ». Quaeritur an in hoc Jubilaeo, ob dicta verba, singuli dies ieiunii in diversas hebdomadas dividi possint?

R. In hoc Jubilaeo affirmative.

Dubium 10.

Attenta clausula « *hac vice tantum* » quaeritur an qui in censuras, et casus reservatos inciderit, una tantum vice absolvi possit, prout edixit Bened. XIV in Constit. « *Inter graviores* », vel potius in hoc Jubilaeo toties quoties in censuras, et casus reservatos incurrerit, absolvi possit?

R. Affirmative ad primam partem: Negative ad secundam.

Dubium 11.

An qui privilegio Bullae Cruciatae gaudet, hoc tantum titulo, sine alia causa, in jejuniis Jubilaei carnibus vesci possit?

Dubium 12.

An saltem vesci valeat ovis, et lacticiniis?

R. Ad II, et 12. Permittitur ex speciali Sanctitatis Suae indulto, ut ii, qui privilegio Bullae Cruciatae legitime fruuntur, tantum ovis, et lacticiniis in ieiuniis pro hoc Jubilaeo praescriptis uti possint, servata in ceteris ieiunii ecclesiastici forma.

Datum Romae e Sacra Congregatione Indulgentiarum, et SS. Reliquiarum die 10 Iulii 1869.

A. Card. Bizzarri, *Praefectus*

Dominicus Sarra, Substitutus

XXXVI

Urbis et Orbis

Inter ceteras conditiones quae in adimplendis operibus injunctis servari debent, ea est ut eadem fiant intra tempus in concessionibus praefinitum. Ut vero Christifideles facilius ad eas lucrandas excitarentur, pluries haec S. Congregatio Indulgentiis sacrisque Reliquiis praeposita, approbantibus Summis Pontificibus, quoad praescriptam Confessionem et Communionem vel benigna interpretatione, vel indultis hac in re providendum existimavit.

Hinc per decretum diei 19 Maii 1759 statuit *Confessionem suffragari si expleatur etiam in pervigilio festivitatis pro qua concessaest Indulgentia*; et item per decretum diei 12 Iunii 1822 declaravit *Communionem peragi posse in vigilia festivitatis.*

Etsi vero haec indulta nullum dubitandi locum relinquerent circa eas Indulgentias, quae pro festivitatibus proprie dictis conceduntur, incipientibus nempe a pri-

mis vesperis nsque ad occasum solis ejusdem diei festi; ita ut liberum sit Christifideli vel in vigilia vel in ipso die festo confiteri, et sacra synaxi refici: plures tamen exinde dubitationes obortae fuerunt an idem dicendum foret de aliis Indulgentiis spatio unius diei lucrandis, et ab initio diei naturalis incipientibus, quae videlicet concederentur non ratione festivitatis occurrentis, sed alia qualibet ex causa; quemadmodum usu venire solet pro sextis feriis mensis martii, diebus dominicis festum S. Aloiisii praecedentibus, oratione quadraginta horarum, aliisque casibus similibus quibuscumque.

Itaque S.mus D.nus Nr. Pius PP. IX in audientia habita ab infrascripto card. Praefecto ejusdem S. C. die 6 octobris 1870 ad removendam omnem dubitandi rationem, et ad commodius reddendum Confessionis et Communionis adimplementum, benigne declarari, et decerni mandavit, prout hoc decreto declaratur atque decernitur, tum Confessionem dumtaxat, tum Confessionem et Communionem peragi posse die qui immediate praecedit sequentem pro quo concessa fuerit Iudulgentia quaelibet non solum ratione festivitatis occurrentis juxta allata decreta, verum etiam quacumque alia ex causa, vel devotionis, vel pii exercitii, aut solemnitatis, uti esset pro memoratis, et ceteris hujusmodi diebus, pro quibus Indulgentia cum conditione Confessionis et Communionis concessa jam fuerit, vel in posterum concedatur, licet tempus ad eam acquirendam ab initio diei naturalis, et non a primis Vesperis sit computandum, servata tamen in adimplendis aliis operibus injunctis regula generali circa modum et tempus in concessionibus praescriptum. Voluitque Sanctitas Sua nihil innovatum censeri quoad decretum diei 9 decembris 1763 favore Christifidelium qui laudibili utuntur consuetudine confitendi semel sal-

tem in hebdomada cum privilegiis, conditionibus et restrictivis ibidem recensitis. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Sec.ria ejusdem S. C. die 6 oct. 1870.

A. Card. Bizzarri, *Praef*

A. Colombo, Secretarius.

XXXVII.

ORATIO

PRO OPPORTUNITATE TEMPORIS

= Clementissime Jesu, salus vita resurrectio Nostra Tu solus es: Te ergo quaesumus, ne derelinquas nos in angustiis et perturbationibus nostris, sed per agoniam Cordis Tui Sanctissimi et per dolores Matris Tuae Immaculatae, Tuis Famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti. =

SSmus Dominus Noster Pius PP. IX in audientia habita ab infrascripto Card. Praef. S. C. Indulg. atque Reliq. praepositae die 6 octobris 1870 benigne indulsit ut omnes utriusque sexus christifideles, qui corde saltem contrito suprascriptam orationem devote recitaverint Indulgentiam centum dierum semel in die lucrentur. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex secria eiusdem S. C. die 6 octobris 1870.

A. Card. Bizzarri *Praef.*

XXXVIII

Cum S. Cong. dePropaganda Fide soleat aliquando concedere Missionariis facultatem benedicendi et imponendi Christifidelibus Scapularia, nonnulla oborta sunt dubia, quae dictae S. Congni ab Episcopis et Missionariis proposita, et ab eadem ad hanc S. Congnem Indulgentiarum et SS. Reliquarium transmissa fuerunt, nempe.

1. Utrum Sacerdos qui a S. Sede obtinuerit facultatem benedicendi Scapularia habeat eo ipso facultatem ea imponendi Christifidelibus, et eosdem adscribendi Confraternitatibus a S. Sede approbatis?

2. Ultrum necessaria sit praevia erectio canonica talium Confraternitatum ex parte Ordinarii loci, ut qui habent a S. Sede facultatem adscribendi dictis Confraternitatibus, possint Christifideles eisdem adscribere?

Quibus vigore specialium facultatum a SS.mo D.no Nr.o PP. IX tributarum S. C. Indulgentiis et SS. Reliquiis praeposita, re sedulo diligenterque perpensa respondendum censuit, prout respondet.

Ad 1. Affirmative ita tamen ut Sacerdotes qui praedictum Indultum benedicendi Scapularia ab Aplica Sede legitime obtinuerint, penes se habeant privatum regestum, et quamprimum commode possunt, trasmittere

teneantur ad Superiores respectivae Sodalitatis vicinioris canonice erectae nomina receptorum ut in Album ipsius Sodalitatis referantur.

Ad 2. Detur instructio prout sequitur.

Ex piis sodalitiis quaedam sunt ab Ap.lica Sede ita approbata ut Christifideles ubique locorum eisdem ab iis qui legitimam facultatem habent possint adscribi, licet in eorumdem Christifidelium respectivis Dioecesibus peculiariter erecta non reperiantur ut ex gr. sunt Confraternitates Scapularis B. M. V. Montis Carmeli, Rosarii, Septem Dolorum, ac propterea quoad ista Sodalitia nulla requiritur in Dioecesi praevia Episcopi erectio.

Quod si agatur de Confraternitate approbata a S. Sede pro determinato aliquo tantum territorio, non requiritur praevia erectio Episcopi, sed Sacerdos habens apostolicam facultatem adscribendi, non potest ea uti nisi in eodem territorio, quo circumscribitur ipsa pia sodalitas.

Pariter non requiritur praevia erectio Episcopi si pium Sodalitium legitime erectum reperiatur in Dioecesi a Superioribus Regularibus, qui ad hoc speciale privilegium ex Aplicae Sedis concessione habent, dummodo in erectione conditiones in Constit. Clementis VIII incip. = Quaecumque = servaverint.

Quibus positis apparet eos qui, ut supra, a S. Sede facultatem obtinuerint benedicendi Scapularia. eaque imponendi, et christifideles adscribendi, posse dicta facultate uti dumtaxat quoad Confraternitates Scapulare habentes et canonice erectas, prout superius explicatum est, et si in Indulto apposita sit clausula = de consensu, vel licentia Ordinarii = illa cum aliis conditionibus a iure praescriptis omnino servanda erit.

Ut autem qui praedictam facultatem habent satis

instructi sint in benedicendis et imponendis Scapularibus communicentur Resolutiones huius S. C: in Urbis et Çameracen. diei 18 Augusti 1868.

Datum Romae ex Secria S. C. Indulgen. ac SS. Reliquiis praepositae die 26 Ianuarii 1871.

A. Card. Bizzarri *Praef.*

A. Colombo Secretarius.

XXXIX.

Urbis et Orbis.

Juxta Apostolicae Sedis praxim in plenariae Indulgentiae concessionibus apponitur clausula « Christifidelibus qui vere poenitentes, confessi, sacraque Communione refecti etc. » Haec clausula juxta declarationem alias datam exprimit conditionem, ita ut confessio inter opera injuncta recensenda sit, et nemo Indulgentiam plenariam, etsi in statu gratiae reperiatur, lucrari possit, nisi sacramentatem confessionem faciat, et cetera injuncta opera adimpleat.

Jamvero in Indultis, quibus partiales Indulgentiae conceduntur, nulla mentio fit de sacramentali confessione, sed adhibetur clausula « *corde saltem contrito.* » Hinc apud nonnullus quaestio orta est: an praescripta contritio requiratur dumtaxat uti mera dispositio, nempe ut quatenus aliquis in statu peccati mortalis reperiatur, ac propterea incapax lucrandae cujusvis Indulgentiae per perfectam contritionem cum proposito confessionis ad statum gratiae restituatur, et capax fiat indulgentias assequendi: vel potius clausula illa « *corde saltem*

contrito » inducat veram conditionem scilicet tamquam pars operis injuncti contritio ipsa habenda sit, ita ut ad indulgentiam lucrandam etiam ab iis actus contritionis emittendus sit, qui in statu gratiae et charitatis reperiuntur.

Ut hac in re Christifideles tutam regulam habeant Sacra Congregatio suprascriptum dubium solvere non dedignetur.

S. Congregatio re sedulo diligenterque perpensa, proposito dubio respondendum censuit, prout respondet:

Affirmative ad primam partem et negative ad secundam.

Et facta relatione SS.mo D.no N.ro Pio PP. IX in audientia habita a me infrascripto Cardinali Praefecto die 17 Decembris 1870, Sanctitas Sua resolutionem S. Congregationis approbavit et confirmavit.

A. Card. Bizzarri, *Praef.*

XL.

Urbis et Orbis

Salutare Viae Crucis, seu Calvarii exercitium summopere conducit ad recolendam memoriam passionis D. N. I. C., qui ob nimiam caritatem qua nos dilexit opprobria passus, et vulneribus affectus, ut a servitute peccati humanum genus redimeret, pretiosum suum sanguinem effudit, et ligno Crucis affixus se obtulit holocaustum pro peccatis. Quapropter Summi Pontifices, ut fideles Christo in carne passo cogitatione passionis eius saepe saepius unirentur, pium Viae Crucis, seu Calvarii exercitium non modo commendarunt, sed etiam reserato Ecclesiae thesauro Indulgentiis illud auxerunt.

Verum Stationes Viae Crucis iuxta primaevas concessiones erigi tantum poterant in Ecclesiis, piisque locis Ordini Min. Observantium subiectis, atque Indulgentiis fruebantur personae, quae eidem Ordini erant addictae. Tractu tamen temporis ad omnes Christifideles, qui in Ecclesiis, piisque locis praedicti Ordinis, tam sanctae devotioni vacarent, Indulgentiarum concessio extensa fuit, et deinde praesertim Benedictus XIV sa: mem: Apostolicis Litteris in forma Brevis incipien: =

Cum tanta = die 30 Augusti 1741 evulgatis concessit, ut etiam in aliis Ecclesiis memorato Ordini non subiectis Stationum erectio fieri posset cum aliqua tamen limitatione quam per rescriptum S. Cong.nis Indulgentiis Sacrisq. Reliquiis praepositae die 10 Maii 1742 clarius declaravit. Idem namque Pontifex inter monita ad rite peragendum pium exercitium Viae Crucis iussu Clementis XII exarata, et ab ipso confirmata inseri voluit hanc declarationem sub Num: X hisce verbis. = Si eccettuano però quei luoghi ove si trovano i conventi dei Frati Minori suddetti (osservanti, o riformati, o recolletti) non dovendosi in tal caso erigere la Via Crucis in altre Chiese non soggette al medesimo Ordine. Se pure detti conventi non fossero situati in tanta lontananza dalla terra, o città, ovvero fosse la strada sì malagevole che senza grave incomodo da giudicarsi tale dall'Ordinario non potesse frequentarsi dal popolo il S. Esercizio.

Nuper vero SS.mo D. N. Pio PP. IX humillimis precibus expositum fuit valde optandum esse, ut tristissimis hisce temporibus, quibus inimici Crucis Christi divina, humanaque omnia pessundare conantur, pia Viae Crucis exercitatio magis magisque promoveatur, ac illius Stationum erectio, sublata limitatione enunciata, ubique in Ecclesiis, piisq. locis fieri possit. Sanctitas Sua animadvertens summam esse vim meditationis passionis et mortis Redemptoris nostri ad confirmandam in animis fidem, ad curanda conscientiae vulnera, ad purgandam mentis aciem, divinoque amore inflammandam, in Audientia habita die 14 Maii 1871 ab infrascripto Card. Praefecto S. Cong.nis Indulgentiis Sacrisq. Reliquiis praepositae memoratas preces benigne excipiens Ap.lica auctoritate indulsit ut Stationes Viae Crucis cum adnexis

Indulgentiis etiam in locis ubi Conventus praefati Ordinis Minorum, Sive Observantium, Sive Reformatorum Sive Recollectorum existunt, quamvis in eiusdem Ordinis Ecclesiis, sacris Aediculis, piisq. locis erectae reperiantur, nulla habita superius expressae limitationis, ac distantiae ratione, servatis tamen aliis de iure servandis erigi possint et valeant. Ceterum Sanctitas Sua per praesens decretum minime intendit derogare privativae facultati, quam idem Ordo in peragenda erectione Stationum Viae Crucis habet, nec specialibus indultis hac super re aliis personis ob peculiaria rerum, ac locorum adiuncta ab Ap.lica Sede concessis, quarum tenor ac forma in omnibus servanda erit.

Non obstantibus contrariis quibuscumque etiam speciali et individua mentione dignis, quibus Sanctitas Sua in omnibus perinde ac si de singulis expressa mentio facta fuerit, plene derogavit. Datum Romae e Secret. Sac. Cong.nis Indulgentiarum, et SS. Reliquiarum die 14 Maii 1871.

A. Card. Bizzarri *Praef.*

XLI.

Urbis et Orbis

Cum inter cetera religiosae pietatis officia ad recolendam et meditandam uberiori fructu D. N. Jesu Christi caritatem, laudabilis exorta sit et multis in locis invaluerit consuetudo qua integer mensis Junius quotidianis devotionis exercitiis dulcissimo Ejus Cordi consecratur; plurimorum Fidelium supplicationes porrectae sunt Sanctissimo Domino Nostro Pio PP. IX. ut pia haec exercitia peragentibus sacrarum Indulgentiarum munera concedere dignaretur.

Itaque Sanctitas Sua petitionibus hujusmodi benigne exceptis,ut magis magisque injuriae Divino humani generis Redemptori in praesenti potissimum rerum ac temporum discrimine illatae reparentur; universis utriusque sexus Christifidelibus qui sive publice sive private peculiaribus precibus et devoti animi obsequiis in honorem SS.mi Cordis Jesu per integrum mensem Junii quotidie corde saltem contrito vacaverint, Indulgentiam septem annorum semel in singulis dicti mensis diebus lucrandam;

et pariter iisdem Indulgentiam plenariam in una praefati mensis die ab unoquoque eligenda, in qua vere poenitentes, confessi ac sacra Communione refecti fuerint, et aliquam ecclesiam seu publicum oratorium visitaverint, et ibi per aliquod temporis spatium Juxta mentem Sanctitatis Suae pias ad Deum preces effuderint peramanter est impertitus; cum facultate easdem indulgentias applicandi pro animabus in Purgatorio detentis. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum et SS. Reliquiarum die 8 Maji 1873.

L. Card. Barili, *Praefectus.*

Dominicus Sarra, Substitutus.

Singula decreta suprascripta concordant cum suis originalibus adservatis in tabulario Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem. Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis die 1 Februarii 1876.

Dominicus Sarra, Substitutus.

——— ———

INDEX DECRETORUM

I.

Quomodo in concessionibus Indulgentiarum intelligenda sint verba « pro omnibus festis, vel pro omnibus et singulis festis sive Domini, sive B. Mariae Virginis. » Pag. 3.

II.

Consulitur infirmis per commutationem operum injunctorum. Pag. 9.

III.

Impositiones scapulariuu rite haud factae sanantur. Pag. 11.

IV.

An Ecclesia Benedictinorum in qua Carmelitae sacras functiones pro tempore obeunt, priviiegiis fruatur ecclesiarum hujusce ordinis. Pag. 14.

V.

Per profanationem ecclesiae, quae postea cultui restituta fuerit, non amittuntur gratiae et privilegia. Pag. 16.

VI.

Reprobatur usus mittendi ac distribuendi scapularia benedicta per virum saecularem. Pag. 18.

VII.

An et quando preces praescriptae recitari debeant flexis genibus. Pag. 20.

VIII.

Pro singulis Indulgentiis plenariis eodem die lucrandis singulae visitationes ecclesiae requiruntur, et quomodo hae iterandae. Pag. 22.

IX.

De authenticitate reliquiarum S. Maxentioli Martyris in Dioecesi Andegaven. Pag. 24.

X.

In benedictione coronarum Rosarii et Septem Dolorum servandam esse formulam. Pag. 26.

XI.

Quibus in casibus privilegium altaris suffragetur, etsi Missa de Requiem in semiduplicibus etc. non legatur. Pag. 28.

XII.

Ecclesias olim Franciscales in Gallia gaudere Indulgentia Portiunc. ex concessione Pii VII. Pag. 30.

XIII.

Indulgentiam acquiri die fixa et rite constituta in proprio Kalendario. Pag. 32.

XIV.

Circa essentiam privilegii altaris; et quibus diebus idem suffragetur. Pag. 34.

XV.

De adscriptione fidelium, erectione, et aggregatione Confraternitatum extra limites facultatum, et Brevium Apostolicorum. Pag. 36.

XVI.

Confraternitates SS. Rosarii non posse erigi inconsulto Ministro Generali Ord. Praed. Pag. 38.

XVII.

De scapularibus male confectis, et simul conjunctis. Pag. 40.

XVIII.

Quibus indulgentiis fruantur Pauperes Sorores regulam tertii Ord. S. Francisci profitentes. Pag. 42.

XIX.

Rite imponi scapulare puerulis nondum rationis usum adeptis. Pag. 44.

XX.

An monialibus Carmelitis in Gallia sit jus ad benedictionem apostolicam quater in anno. Pag. 45.

XXI.

An corona « Septem Gaudiorum » in ordine Seraphico indulgentiis ditata sit. Pag. 46.

XXII.

Congregationem Primariam in Collegio Romano non esse comprehensam, quoad aggregationes, sub Bulla Clem. VIII. Pag. 47.

XXIII.

De recitatione « Angelus Domini etc. » Pag. 49.

XXIV.

Preces praescriptas quocumque idiomate recitari posse. Pag. 50.

XXV.

Indulgentiae pro se invicem salutantibus per verba « Sia lodato Gesù e Maria. » Pag. 51.

XXVI.

Indulgentiae pro pio exercitio in Mense Martio in hon. S. Joseph. Pag. 53.

XXVII.

Indulgetur ut Congregationes Filiarum Mariae plures in eodem loco erigi possint. Pag. 55.

XXVIII.

Indulgentiae pro Responsorio « *Si quaeris* » in hon. S. Antonii Patavini. Pag. 57.

XXIX.

Circa recitationem horarum canonicarum ad lucrandum privilegium vulgo *Sabbatinum*. Pag. 61.

XXX.

Utrum et quando Vicarius Generalis possit erigere Confraternitates, et dare litteras testimoniales pro aggregationibus. Pag. 63.

XXXI.

Scapularia rite benedicenda et imponenda fidelibus adscribendis in libro Confraternitatis. Pag. 67.

XXXII.

An et quando Confraternitas possit adscribere extradioecesanos. Pag. 70.

XXXIII.

Circa materiem, formam, et usum gestandi Scapularia. Pag. 72.

XXXIV.

De jure, quoad indulgentias, in Ecclesiis Societatis Jesu vel olim propriis, vel in usum concreditis. Pag. 75.

XXXV.

Declarationes circa jejunium, prout opus injunctum in Jubilaeo extraordinario, occasione Œcumenici Concilii. Pag. 80.

XXXVI.

Indulgetur ut tam communio quam confessio fieri possit die praecedenti pro quacumque Indulgentia plen. lucranda. Pag. 85.

XXXVII.

Indulgentia pro oratione = Clementissime Jesu =. Pag. 88.

XXXVIII.

Instructio pro missionariis ad rite benedicenda et imponenda Scapularia fidelibus, eosque adscribendos Sodalitatibus. Pag. 89.

XXXIX.

Qui sit sensus clausulae = corde saltem contrito = quae pro indulgentiis partialibus apponi solet. Pag. 92.

XL.

Abrogatur monitum sub N° X. circa distantiam Viae crucis erigendae in locis ubi sunt Ecclesiae FF. Ord. Min. Observ. Pag. 94.

XLI.

Indulgentiae pro pio exercitio in mense Junio in honorem SS. Cordis Jesu. Pag. 97.

GTU Library
3 2400 00779 2264

DATE DUE

PRINTED IN U.S.A.

2400 Ridge Road
Berkeley, CA 94709
For renewals call (510) 649-2500
All items are subject to recall